TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. P_MSS_0792

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache
Latine

-786-
At
-798-

M. A. Fiducii canc.

Commentarius
de Jo. Grimani Patriarchę Aquil.
in Urbem adventu

792

1585.

Scriberꝰ Fiduci hæc poteras doctissimꝰ solus.
Certꝰ non alius tàm grauꝰ ferret onus.

DE PRIMO IN VRBEM NRAM INGRESSV IOANNIS GRIMANI PATRIARCHAE ET PRINCIPIS AQVILEIENSIS RELIGIOSISSIMI

M. ANTONII FIDVCII REIP. VTINEN. CANCELL. COMMENTARIVS.

Commodius animo meo fecissent superiorum temporum scriptores, qui primum nostrorum Antistitum in hanc urbem ingressum monumentis litteris mandarunt, ingressi sunt fuerunt, si eo modo, quo ab ipsis principibus uiris tunc: ad ostendendum suum in nos studium et beneuolentiam gesta sunt, retulissent, ut scilicet illud etiam, quicquid a maioribus nostris ingenio excogitatum, opere q. et industria elaboratum, atque perfectum fuerit, quo propensa in eos animorum suorum uoluntas omnibus constare posset, memoriae exposuissent. Hac enim ratione (veluti penitus in memoria nulli summi cum ingenii, tum doctrinae laude prestan-

tes vigerent, à quibus multa et ingeniose inuenta, et docte, aptèq; composita fuisse pro certo scio; ea cura, qua diutius hoc tempore, cum optatissimus Sanctissimorum Patrum IOANNIS GRIMANI, & FRANCISCI BARBARI Pontificum Aquileiensium ad hanc urbem aduentus superioribus diebus renuntiari coepit, eadem ipsa urbs solicita, ancepsq; animi fuit ad eam apparatus magnificentiam, & amplitudinem conquirendam, quae et tantos Praesules deceret, et suam in eos singularem uoluntatem declararet, ~~foret~~ esset liberata: et ego, qui sentio quam parum ingenio ualeam, quámq; sim ab hoc genere scribendi, in quo forte uerborum lenocinia, pigmentiq; sermonis, quasi quoddam delectationis aucupium, aliquis expectet, remotissimus; ut pote cum quotidianis Reipub. negotijs conscribendis dies omnes ac noctes implicito ad hec humanitatis studia exercenda, orationemq; excolendam parum, aut nihil planè ocij suppetat, ab huiusce narrationis onere, quod maxime cupiebam, leuatus extitissem. Sed quoniam illi strictim ac breuiter, et compressius, quam oportebat, omnia tradiderunt: et ego urgeor ab ijs,

quibus

quibus

quibus, mihi cuiusuis oneris imponendi, ius et potestas est, illorum potius, quam meum consilium secutus me esse operę pretium facturum, et ab ijs, qui hęc aliquando legent, aliquam gratiam initurum putauj, si non in uniuersum dicam, sed dilucide singula quęcunque in accessu nobilissimorum Patriarcharum, quos superius memorauj, passim gesta, quęque prestantissimorum Septemuirorum prudentia sunt instituta, sub oculos, utcunque potero, subijcere, et narrando explicare: tantum, uti quotiescunque aliqua sese noua obtulerit occasio, posteri, quod sequantur, ad manum habere, quidquid sibi in consimili re faciendum sit, ex huius commentarioli nostri lectione facile statuere possint. Longe enim iucundissima esse solet hominibus, qui subito ac repentino rerum minus sępe contingentium euentu propemodum oppressi, sępe incertis, sępe errant animis et quo se uertant, nesciant, recordatio rerum antiquarum, quae sibi imitandum proponant, aut suis etiam inuentis longe superatus conentur.

Rebus igitur omnibus hoc superiore triennio, quo religiosissimus, atque idem nobilissimus Antistes noster IOANNES GRIMANVS Venetijs digressus tum Romę, tum Anconę in Piceno commoratus est, diligenter, ac prudentis.

prudentissime compositis, iisque e medio sublatis impe-
dimentis, quibus eius in prouinciam aduentus distine-
batur, continuo, quae eius in nos omnes charitas est, et
beneuolentia, animum ab omni alia cogitatione in illud
unum, quod ante hac diutius cupiebat, traduxit, atque
conuertit; ut sibi creditum gregem praesens inuiseret,
omnemque expectationem diuturni desiderii nostri iucun-
dissimis salutationibus expleret. Itaque extremo su-
periore mense Septembri a partu uirginis anno quingen-
1545 tesimo octogesimo quinto supra millesimum, datis ad
Episcopum Catharensem PAVLVM BYZANTIVM
I. C. Propatriarchā, hominem uirtute cognita, et spectata
fide amplissimum, literis, cum ille ipse Antistes noster si-
gnificasset, se cum insignibus insequenti mense ex ma-
iorum instituto in prouinciam aduenturum, et in hac urbe
sedem stabilem, certumque domicilium collocaturum; Se-
ptemuiri Reipub. Vtinensis moderatores, quippe qui satis
intelligebant, huic populo nihil longius uideri, quam ut suum
Pastorem secum haberet, praesentem coleret, atque omnibus
officiis prosequeretur, ea re cognita, nihil prius sibi faci-
undum putarunt, quam ut hoc gaudium cum ciuibus omni-
bus publice communicarent. Qui tunc Rempub. admi-
nistrabant, primarium, principemque urbis magistratum
gerentes

gerentes, fuerunt viri doctrinae excellentia, generis nobi-
litate, et prudentia clari IOANNES COMINVS, et Do-
minicus, qui cognomine OTHELIVS Iurisconsulti,
FRANCISCVS MASERVS, FRANCISCVS
PAVONIVS, PETRVS THVRSIVS, FVLVIVS
HERCVLONIANVS, et FRANCISCVS THIES-
SEVS. Hi ergo ad V. Nonas Octobris, minus urbis Con-
cilium (quod maius hoc tempore, civibus ab urbe absentibus, et
adhuc in villaticis negotiis occupatis, haberi non poterat) con-
vocari iubent, quo coacto, post multa dicta, et Cominus in com-
mendationem paternae et perpetuae charitatis, qua Pastor,
et Antistes noster, quem supra commemoravi, nos semper
prosecutus est: ostenderetque, maxime ad nostrum in eum stu-
dium pertinere; ut modo, cum is, si unquam alias, certis-
sima dedit suae in nos optimae voluntatis significationem,
eum ad nos ultro venientem, si non pro hominis dignitate,
ut saltem pro temporis angustiis et nostrarum virium imbe-
cillitate, quam fieri potest honorificentissime, splendidis-
sime que recipiamus, et in eius praestatione dignitatem, civitatis
et omnium nostrum dignitatem repositam esse arbitramur.
Tandem coniunctis omnes sententiis rogationem pluribus
capitibus comprehensam promulgant. Summa rogationis
illa fuit. Ut ex civibus deligerentur civium nobilium et popula-
rium ordinibus Octo insigniores, omni laude cumulati,
Oratores deberent, ex optimatibus quidem sex, quorum alii

quatuor

quatuor viri ciuilia tractant, deque ea responderent, dixissent,
e populo uero duo, qui eo instructi, ornati que comitati, qui
dignitati huius legationis, et tanti Antistitis amplitudini
responderent, sese ad oppidum Saniktum ex patrum no-
mine nuncupatum conferrent, in eo loco, ad quem Antistitis ad-
uentum propediem expectari dicebatur, ut praesentem pu-
blicae ciuitatis nomine studiosissime salutarent: et ad nos
uenientem, officij gratia deducerent, atque in urbem usque
comitarentur, facta illis potestate, ut secum adhiberent
quos quos que eis uiderentur: eorum que deinde pro ciui-
tatis dignitate, legatio perhonorifice cumulata, [illegible] quin-
quagesimum numerum allecti transgrediantur.

II. Quoniam uero in salutationibus, tormentarijs machinis more
militari faciendis, in qua ignibus factitijs componendis, et
excitandis, multum atri pulueris haberi oportebit, et huc
collata quamplurima e stuppea ac picea materia composita [conflata],
quae ab altis turribus noctu coruscantia longius flammas osten-
tent, comparare, opus insuper cum aulaeis, picturis, uirentibus
sertis, alijsque ornamentis basilicam publicam instruere, ni-
hil que relinqui, quod ad ornatum portarum, itinerum, loco-
rum que omnium, qua Antistes iturus erit, excogitari possit:
et largi sumptus necessario faciendi erunt, ideo magistra-
tuis facultas tribuatur in eos sumptus publicam pecuniam,
quanta opus fuerit, erogandi.

III. Tertio iudicium fuit, si Antistes more a maioribus obseruato

rem diui-

rem diuinam in celebri aliquo ciuitatis loco facere uelit, un-
de populo uniuerso cum sanctę crucis signaculo bene augu-
rari; et perpetuam felicitatem comprecari possit, templum
maximum minime idoneum situm ad eam multitudinem
capiendam, quam uerisimile est, ad eum solemne sacrificium
non modo e ciuitate, sed e tota etiam prouincia undique
confluxuram esse; ideirco alterum esse locum, ubi hęc
omnia commode fieri possint, deligendum. Propterea magi-
stratui itidem [illegible] permittatur, aut aream fori noui,
aut alterum quemuis locum legendi, in quo solemni atque ar-
tificioso apparatu ędes e materia, huic usui idonea excitetur;
et in illud opus impendendi, quantum necessitas, et structurę
ratio postulabit.

IIII. Ad hęc illud additum fuit; satis omnibus constare, quam
incommode patrum Collegium, et sacerdotes omnes in eo
loco templi maximi, ad quem singulis diebus conuenire
solent, ut psalmos horarios, et alias laudes diuinas canti-
tent, resideant, nostri Chorum uocant: quem quidem prin-
ceps; quasi suppositiui, et alieno propemodum loco positi
esse uideantur; cum altare suo, atq; ordinario loco motum illuc
ubi nunc est, translatum fuerit, et mensa lapidea submota,
asseritia mensa substituta sit. Ideo congruum uideri, ut pro
urbis dignitate, atque templi ornamento omnia instaurari,
atque ornatu instrui, et illustrari debeant, mensa marmo-
rea restituta, et solio Patriarchali in loco honorifico col-
locato.

locata. Interea in hoc etiam opus faciundum, quantum occasio tulerit, despendendum esse.

V. Ut autem a nobis Antistes per honorifico munere, ut par est, magnificeque honestari valeat, decretum sit, ut omnia quę cumque in eam rem magistratus fecisset, essent rata; ita tamen ut tragemata, et opera dulciaria, ac cera Venetijs, ubi et suaviora, et meliora, ac viliori precio haberi poterunt, comparentur.

VI. Utque inde omni, quoad eius fieri potest, consulatur Antistitis, et familię eius commoditati, hodie cura sex nobilibus civibus demandetur; qui continue per vicissitudinem, et commutationem, dum tempus, et res feret, in aula presto sint futuri, siquid in eorum rem communem providendum sit.

VII. Preterea petitum, magistratui, tribui, ut conducere ei liceat operam cum architecti, qui instar quoddam, et quasi faciem operis faciundi delineet, tum alterius cuiuspiam, qui fabris, et edificatoribus presit.

VIII. Ad extremum in ea rogatione scriptum erat; quamvis ex Antistitis optione, ut eius, et familię sedem, coenobij Servitani pars aliqua delecta fuisse videatur; quoniam tamen processu temporis illi, familię quoque eius, nec non Pretori, Septemviris, et alijs, quot quot eam aulam aut negotij aut officij causa frequentare instituerint, ex ea re multum incommodi possit emergere, petendum est, quod in aperta illa campi planitie, quę in fronte ipsius coenobij posita est, aut procella ingruente, aut aere ventorum fluctuante, cuique

importunum

importunum maxime sit, hiberna tempestate deprehendi. ipsi quoque magistratus incommodentur transeundi, atque ęre publico conducendi in Antistitis, ipsiusque familię usum, domos aut Turriagas, aut Valentinianas, aut alias, quascunque Septemviri idoneas iudicassent. Rogationis pronuntiatione facta, placuit, ut de singulis capitibus nominatim referretur. Relatum igitur de singulis, decretumque, omnia fieri, quęcunque in singulis propositum fuerit. Quanquam non defuerunt, quibus videretur, extra locum consecratum amplius rem divinam fieri non licere, et ad id prestandum sacerdotes religione impediri perhiberent. Itaque ut iussa primi capitis facessherent, composito cadisco, et facto ab iis delectu, quibus e vocari globuli sortitione ius eligendi fuit, initisque singillatim de more suffragiis, Oratores renunciati sunt

NICOLAVS DECIANVS	Iurisconsulti
FLAMINIVS RVBEVS	
ANDREAS ANTONINVS	
ALPHONSVS BELLOGRADVS	

ANTONIVS MANINVS
NICOLAVS CORBELLVS
THOMAS SCHIAVETTVS
ANTONIVS MARCHESIVS

Qui vero in Antistitis aula versentur, de iis quę illi in dies opus erunt, quamque expediat, in medium consulturi, dicti fuerunt.

IOANNES PAVLVS A LECA CORSICVS
OCTAVIANVS MANINVS
PHILIPPVS MANINVS
PHILIPPVS ARCANVS
IOANNES ANTONINVS
IACOBVS VALVASONIVS

Post illum diem Septemviri delineationem aliquam operis conficiendi, quæ ἰχνογραφία Græcè dicitur, spectare cupientes, ut futuros sumptus expenderent, et quæ necessaria forent opportunè possent apparare, ac providere, primùm theatro ~~constituendo~~ faciendis sacris constituendo quampiam aream delegerunt ædi sacræ divo Iacobo propositam, nunc forum novum appellitant: deinde accersendum curarunt Franciscum Florianum Utinensem civem, architectum percelebrem, et graphidos scientiæ peritissimum, cui animorum suorum sensibus explicatis, rogant, exemplaribus pictis curet sibi futurarum constructionum speciem deformandum. Interea aperte vulgari, et percelebrari sermonibus coepit, Antonium Marchesium, cui à negotijs nullus prorsus dies vacuus est, maximis occupationibus distentum legationis officium repudiare; id quod ipse etiam paulo post coram mihi significavit, petijtque, magistratus accipiat excusationem suam. Septemviri re certius intellecta, ne quid esset, quod Oratorum instructis moram, atque impedimentum posset inferre, Concilium statim sibi cogendum duxerunt, uti de Marchesij impedimento, atque

excusatione

excusationis referrent. Ergo ad VIII. Idus Octobris iterum coacto in Pretoriania ędibus minori urbis Concilio, priusquam Marchesianum negotium Septemuiri proponerent, Flaminius Rubeus iuris ciuilis scientissimus, et ad dicendum copiosus et sapiens, cum quod Aduocatorum uocant, officio fungitur in concione locutus fuit; quando minus expectabatur exurgens dixit, se modo in eo esse statu, et conditione esse, qui modis omnibus debeat de munere legationis, quę nuper sibi data est, excusari: ibique diserte suam causam probare adnixus est; quod cum ob interitum auunculi sui hisce proximis diebus fato perfuncti, in luctu, atque moerore sit, non esse ęquum dicebat, ut aut ipse squalore suo atratus publicam letitiam funestet, atque contaminet, aut pullis uestibus depositis affini suo admodum bene merito tam manifestam se faciat iniuriam. Illud etiam addidit, se, qui nunquam ante hac (quod de re omnium, qui presentes aderant, memoriam excederit) imposita sibi onera detrectauit, et anno superiori rursus hoc ipsum legationis officium magna cum impensa sua apud Michaelem Iuerigum Episcopum Conettosem, et Cardinalem amplissimum nobis nomine studiose confecit, dignissimum esse, qui modo hoc onere leuetur, atque liberetur, petens etiam atque etiam, ut, se dimisso, alterum sufficere placeret. Ad quę cum Pretor, tum Septemuiri responderunt, leuiores causas propositas uideri, quam quę statim accipi debeant, et uiros graues grauibus negotiis adhiberi, á quibus ipse quidem, pro eius in patriam pietate, se se nunquam subtraxit; neque data negotia repudiauit; quod si quid auun-

culo

cole debet, meminerit, se multo magis patriæ debere, cuius
iussa contemnere, obedientiamque abijcere bonus ciuis sine ne-
fario scelere non potest. neque eos uestimentorum tridui spa-
tio mutatione auunculi manes offendi; quinimo tanto maiore
gaudio affici eos, quanto ampliore honoris titulo sororis fi-
lium decoratum fuisse persentiant. Cùm ille tamen ab hac
de sententia cedere noluisset: ac Semptemuiri, qui illi con-
gratum fecerant, de eius excusatione retulissent, ea magno
suffragiorum consensu repulsam, atque reiectionem accepit.
Quare is uolens se conformare ad illorum uoluntatem, cum
à patriæ arbitrio honeste dissentire non posse putaret, in de-
creto facto sponte statim acquieuit. Eodem die Marchesij
excusatio, quod iusta et euidens uideretur, accepta est, et in
eius locum BARTHOLINVS LORIVS Orator est
factus. Dirempta quoque illo ipso die fuit controuersia,
quam Nicolaus Decianus I.C. habebat cum Alphonso Bel-
logrado I.C.: utroque uirtutis, peritiæ, atque industriæ suæ con-
scio, asseuerante, suis scribendæ, et elaborandæ, habendæque
orationis, qua primum excipi, salutarique Antistes debebat,
ad se pertinere: illo quidem, quod natu maximus, hoc autem
quod ex collegis omnibus ætate minimus habeatur; decretu
enim factum est, ut ætate maiores Iurisconsulti in hoc genere
laudis, atque gloriæ natu minoribus cederent. Itaque istud
oneris et honoris ad Bellogradum uenit. Laudabili, et
generosa hac æmulatione certatum fuit etiam inter Septem-
uiros Cominum, et Othelium Iuris peritos, cum uterque

ostenden-

ostentandę uirtutis suę causam quęrens, diceret, esse suum
officium, postea quam Antistes aduenerit, cum aliquo sermonis
apparatu primum appellare, et consalutare. atque iisdem mē
gentis rationibus, quibus dio Oratores, ut ante dictum est,
uterque nitebatur. Statui igitur placuit, sortiendum esse, uter
ipsorum esset hoc officium facturus. Et sortitione facta, for-
tunę iudicio contigit, ut orandi officium et munus Othelio
deferretur. Flagitanti quoque Salomonio collegę meo datū
negotium fuit, ut Antistitem Grimanum quę familiam Lati-
na oratione publice laudaret. Visum fuit etiā extremum
decernere, uiatoribus ciuitatis Reip. qui magistratui solent mini-
strare, et buccinatoribus noua indumenta, quę Reipub. Vti-
nensis insigni coloribus referrent, ā uestigio ad uerticem
publica pecunia sarcientur. Tertio Idus rursus aduocata
concio in palatium Pretorium coiuit, ubi recitatę fuerunt
Antistitis literę VIII. Idus Venetijs ad Episcopum Catharen
sem Propatriarchā datę, in quibus amare se dicit animorum ciui
tatis inclinationem, et propensas omnium uoluntates, de instru
ctu, ornatūque, qui sui pastoris honorifice excipiendi gratia
parari extra ordinem perhibetur; quibus omnibus se mutua
beneuolentia, et paterno animi affectu respondere profitebatur.
Et quamquam laudabilia, et omni commendatione dignissima
esse debent, quęcunque ad cultum diuinum augendum, eius q3
ecclesiam cohonestandam solent excogitari, nihilominus

aliena

aliena tamen incommoda, et dispendia, atque in rebus omnibus quod est immodicum, sibi placere nullo modo posse. De loco uero, ubi a se primum sit res diuina publice facienda, non magnopere laborare, se quod illud nihil morari, cum scilicet ea sit in templo, aut extra templum potius agenda, modo in loco congruo, et populo opportuno, honesto que apparatu fiat: atque ea in re omnia Septemuirum uoluntati permittere, in qua nihil ipse penitus iuris sibi retinere uelle dicebat. Deinde infert, se breuiorum iter, ditiis que bene uolentibus Venetijs discessurum, et quamuis Utinum proficisci recta uia maxime cuperet, negotijs tamen quibusdam Senuitum prius etiam inuitum abstrahi. Itaque eo in loco se tantisper futurum significauit, dum Franciscus Barbarus M. Antonij Procuratoria dignitate insigniti filius, sacri magistratus administer et socius (quem Paulus συνεργόν, id est, operis participem, et consortem nominat) quem Pontifex Maximus ob eius eximias uirtutes Patriarchalis muneris adiutorem, ne successor in incerto foret, proxime renuntiauit, solenni ritu sacris Pontificalibus inauguraretur, se quod conspiceretur: dumque Roma ad se Patriarchalis potestatis insignia, pleni que sacre auctoritatis ornamenta (pallium uocant) deferrentur. Eo etiam die, Septemuiris referentibus, Senatus consultum factum est, uti ex

prediulto

predicitur materia, quaecumque Byzantio Propatriarcha probaretur, sacrae vestes sacerdotales parari deberent. Et ea in re quadragies centenj Sestertij nummi expendantur. quo die Patriarcha quoque ipse, sicuti postea cognitum est, Senatum peruenit. Architectus interim Florianus cum operum formis, atque adumbrationibus eleganter descriptis Septemuiros conuenit, qui schematibus inspectis, probatisque, cum illum ipsum operibus praefecissent, fabros materiarios adduci iubent; his qui theatri, alijs chori opera facienda dispertiunt. Cumque Patres cum his de mercede initio conuenire voluissent; atque theatri quidem redemptores sibi statui mercedem in HS. decem millia petijssent; ceteri vero diaria mercede exerceri, atque operari neglexissent; conuentum est, ut post absoluta aedificia, utrisque praemia bonorum uirorum arbitratu persoluerentur. Ita statim utraque redemptorum manus sibi locatum opus facere aggressa est. Non cessabant interea Septemuiri dare operam, omni adhibita diligentia, ut perquiratur, atque inuestigetur domus aliqua, quae Antistitis commoditati, usuique familiae eius esse posset; cumque ad aedes Turrianas, quae nunc ab Equite Vandio possidentur, oculos adiecissent; agi cum eo, illius que interuentijs de pensione, et pactis coeptum est; aperte enim Vandius profiteri uidebatur, se domos dimissurum, si conditiones quas

paulo

paulo post datae manu sua scripto laturus erat, decipiantur. Exprompum, ac prolatum scriptum fuit; atque intellectae quas proponebat, conditiones, quae quoniam duriores aliquanto, et minus aequae uisae sunt, consulto eam differebant, atque procrastinabant; si qua forsan aliunde honestior offerretur occasio. Quando ingenita magnitudine animorum permoti Hieronymus, Ioannes, Franciscus, atque Antoninus germani fratres Danielis filij Antoninique, digni homines, quorum nomina, et uirtutem nulla unquam obscuret obliuio; tali namque ingenio praeditos ciues minime multos inuenias, qui statuant suam commoditatem posteriorem commoditate communi ducere, ubi aliquandiu frustra quaeri Septemuiros audierunt, hoc domicilium inueniendi, atque habendi desiderio, per Alphonsum Bellogradum I. C. patruelis maritum primo; mox ipsi per se se aedes suas omnes in uico Gratiano sitas, ciuitati in eam causam ultro, gratuito que detulerunt, et non aedes ipsas modo, sed etiam ornatum et apparatum, ac supellectilem denique omnem, qualicunque sunt instructae, alacri animo se ad illorum nutum concessuros esse polliciti sunt; illud addentes sibi pro sua in nomen Venetum, et in hanc Rempub. fide, atque animorum applicatione, nihil quidquam commodius, nec delectabilius futurum, quam cum intelligant, aliquem illius Serenissimae Reipub. Pro-

cerum

rerum aliquid commodi ex se, rebus que suis unquam sibi
comparasse: atque hanc ciuitatem patriam suam, cui mul-
tum omnino debent, quam que unice obseruant, et colunt,
aliquid fructus aliquando ex opera sua quoquo modo per-
cepisse cognouerint; non enim a domibus suis eos, qui in
illas recipiuntur, sed ab harum dignitate domos honestari
semper ~~putauerunt~~ sibi persuaserunt. Tam generosos animos Septemuiri
exosculati, atque admirati, ornatissimos iuuenes cum mi-
rum in modum commendassent, illis que urbis nomine grati-
as egissent immortales, dixerunt, se cum Pretore, et Propa-
triarcha in rem presentem, loci uisendi causa, postea uenturos.
Ad V. Kalon. Nouembris Pretor cum Propatriarcha, atque
Septemuiris, magno que nobilium ciuium comitatu eas edes
adierunt, ingressi sunt, totas diligentius, accuratius que spe-
ctarunt; totas enim domini patefecerant; nihil eis fieri posse
commodius, nihil amoenius iudicatum est. Tote sunt in
tria membra diuise, quodlibet autem membrum in multa
habitacula distributum; a uestibulo statim utrinque in duo
diuersoria intermedia conscenditur, que quoniam recipiendis
presertim hospitibus assignari solent, a Grecis καταλυτήρια,
et καταλύματα, id est hospitia nominantur, nostri ex
alia ratione Mezatum, quasi medianum Greci forte μεσαύλιον ob id etiam
dicitant. inde petitur prima anterioris membri contignatio,
in qua aula satis ampla, et bine camere constitute sunt. ex
aula per pociola ad membrum medianum peruenitur, ubi

culina

culina patens, et supellectili omni genere mire instructa,
atque hypocaustum ab omni parte constratum, et contabulatum,
cui adiacet cubiculum, e quo in aliud item conclave devenitur.
inde ad membrum posterius iter est, in quo coenatio ampla,
et cubiculum interius, ac tertium item adhuc secretius conclave, atque
hęc omnia in prima contignatione, sub qua in alia duo habi-
tacula, seu diversoria per scalas cochlides descenditur, quę
ostia habent in impluvium patentius, undique ędificijs ac
magnifica porticu cinctum, cum promptuarijs, et cellis penu-
arijs, ac vinarijs hypogęis, cisterna quoque, ac vivo flumine sub-
terlabente, et horto, et equilibus, ac singulis demum partibus,
quę cuiusvis familię etiam numerosę usui, et commoditati abun-
de subservire possint. Quę omnia cum fuissent ab omnibus
vehementer probata, postridie Septemviri per literas fa-
ciunt de omnibus rebus Antistitem certiorem, rogantque,
ut mutata sententia, repudiatoque consilio, quod de Servi-
tarum sedibus primum intenderat, hasce ędes et ampliores,
et commodiores, quas illi toto animo deferebant, accipere
velit. De pallio etiam, quod solenni ritu, ut fertur, iniici
consuevit, hunc unice precati sunt, ne illud extra urbem
sumere animum inducat suum; sed hac etiam in re urbis
desiderio, quę eius est humanitas, satisfaciens, constituat,
eam quoque celebritatem hic Utini haberi oportere; quam-
maxime ab eo orantes, atque postulantes, ut ne diutius hu-
iusce pallij causa proroget tempus adventus sui, accedat,
et properet

et properet etiam sine pallio, hic morari atque expectare poterit, hic capere, hic commode residere, et eodem tempore huius populi cupiditati, atque studio, ab omni, quae ei quam maxime affectat parte morem gerere. Datae eodem die hae literae fuerunt Episcopo Catharensi Propatriarchae, qui postero die hinc discedens Sanmitum profectus est. Ad IIII. Calendas Novembris Septemuiri concionem rursus aduocant in palatium Praetorianum, quibus residentibus, Octauianus Maninus excusatur, si ex pedibus laborans, eoque morbo impeditus partes agere suas in Antistitis aula minus poterit: atque eius locum LVDOVICVS CODROIPIVS sufficitur. Vtinum ad IIII. Nonas Nouembris Episcopus Sanuito remigrauit; allatis de Patriarcha ad Septemuiros literis humanitatis plenissimis; in quibus illud potissimum fuit, quod eorum in se studium commendabat. edes uero, quae sibi amantissime delatae fuerant, dixit, se, habita hiberni temporis, atque aetatis suae ratione, libenter accipere: illos quae ob istiusmodi prouidentiam, et amoris declarationem, amare uehementer. in reliquis ad eam, quae ab Episcopo uerbis suis oretenus fieret expositio, se reijcere. Amisit is praeter cetera, Patriarcham suo in urbem aduentui diem III. Idus constituisse; ad cuius diei normam tum Oratores, tum ceteros, quibus aliquid incumbit perficiendum, suas dirigant actiones, oportere. His habitis Septemuiri urgendas sibi esse operas intelligunt

telligunt; quique theatrum ædificabant, quique templi chorum instruebant, et reliquas urbis partes exornare instituerant. Præterea munditiæ uiarum, et uicorum, totiusque urbis decori, et elegantiæ studentes edixerunt, uti sordes, quisquiliæque, ac retrimenta omnia, quibus aspectus pollui, atque offendi possit, e tota urbe tollerentur: ne ue sues quisquam uagari, aut porticus, uias ue occupare permittat, proposita poena, siquis non obtemperasset sestertium numum CXL. in singulos, et animalium amissionis, quæ possint impune occidi, et illius, qui ea occidisset, efficiantur. Virdantibus primum, amoenisque florum, frondium, fructuum que contextibus, quos Græci ἐγκάρπους, nostri festones appellant, basilica tota interius, exteriusque per singula columnarum intervalla, et in fenestris superius pingi, et illuminari coepit; ex quibus tum insigniter paulo post undequaque renidere uisa est, ut ad eum ornatum nulla fieri posset accessio. fornices autem columnarum grandia uniuersi magistratus, et ipsius etiam prouinciæ Præsidis, Venetique Ducis insignia tum hederaceis coronis mira arte intertexis, et coloratis lemniscis, aureque cinctis circumplexa, tum bracteis ex orichalco tusis ab eis dependentibus, et ad omnem auram crepitantibus insignita, penitus implebant. Nihil usquam fuit in toto eo ædificio, quod non magnificentiam, lautitias que præ se ferret. Columnarum scapi tapetibus

tibus inuoluti, et à capituli abaco ad ipsam usque apophygis
quadratam xylinis quasi rudentibus in spiram clauiculatim
circumligati: parietes undique aulęis tecti: podia splen-
didis, ac sumptuosis stragulis conuestita: mensę eximia
ueste instratę: sedilia omnia textis laneis operta.
Quę res loco per se satis conspicuo tantum cum dignita-
tem, tum uenustatem, ac splendorem addiderunt; ut
non profanis usibus, id est, hominum litibus, ac negotijs
addictus, sed Deorum immortalium cultui, sacrisque ce-
rimonijs destinatus esse uideretur. Post hęc arcus omni-
um portarum, illarumque antepagmenta (παραστάδας
Gręci uocant) quacunque ducenda erat pompa, è lauro,
myrto, atque hedera papyraceis philyris depictis uiticulatim
circumfusis sępti, atque exornati sunt. Ad pontem subli-
cium portę exterioris propugnaculi uici Poscollei, qua pri-
mum aditus futurus erat, omnia folijs superuestita renide-
bant. In hyperthyro autem supra cymatium supercilij sub
insigni Crimanę gentis, quod uirenti serto redimitum
in fastigio positum fuerat, depicta spectabatur magna
puerorum, et puellarum multitudo, quę palmę, atque oleę
ramitos, uirentesque aliarum arborum ramusculos ma-
nibus tenens, in canentium, aut clamantium speciem oscu-
lis hiabat; subque his limini supero affixus hic uersi-
culus legebatur:

INGREDERE ET VOTIS IAM NVNC ASSVESCE
VOCARI.

Sub fornice ad portum turris interioris uici Poscollei, qua parte ad preterfluentis amnis pontem lapideum uergit, magna insignia Grimane, et Capelie domus, atque Utinensis Reipub. uiridantium sertorum amplexu circumplicata uernabant. Sub quibus longis literis maioribus inscriptum erat huiusmodi epigramma:

VRBIS VII. VIRI IOANNI. GRIMANO
HIERON. F. PATRITIO VENETO
PATRIAR. ET PRINCIPI AQVILEIEN.
QVI OFFENSVS RVINIS ANTIQVAE AQVILEIÆ
BELLORVM AC TEMPORIS INIVRIA
DEFORMATAE
III. IDVS NOVEMBRIS
TRIVMPHALI POMPA HANC VRBEM TANQVĀ
NOVAM AQVIL. PRIMVM INVECTVS EST
ANTISTITI RELIGIOSISS. HONORIS
CAVSA EX S. C.

Ad caput uię, quę ad emporium olitorium tendit in angulo areę fori noui e regione ędificij fontis, arcus insignis altitudinis, materia structus, et tribus fornicibus, intrinseco ampliore, duobus extrinsecis contractioribus absolutus, et ab oī parte hederaceis ramis atque ~~atque totus~~ aulęis exornatus inspiciebatur; in cuius fastigio hoc carmen sub tribus insignibus trium Pontificū Aquileiensium Dominici, Marini, et Ioannis Grimanorum erat inscriptum: QVI MEMORES FECERE SVI NOS VSQVE MERENDO.

In eiusdem uiæ termino, qua parte ab oletum emporio ad ædes Montis conuertitur, alter arcus eiusdem amplitudinis et ornamenti constructus erat, in cuius fastigio ouata specie pictura affixa erat anserem ad anchoram alligatum representans cum hac subscriptione:

GENIO SANCTO
IOANNIS GRIMANI PONTIFICIS AQVIL.
OB FIRMAM CVSTODIAM.

Cui tertius deinde arcus respondebat in faucibus regionis pellionum ad angulum edificij Montis pari magnificentia et dignitate, in cuius fastigio altera pictura eadem forma ouata gallum gallinaceum referens inspectabatur cum hoc titulo: IOANNIS GRIMANI ANTIST. AQVIL.
PVRITATI ANIMI DIVINARVM
RERVM COGNITIONE
IMBVTI

Propyleon, id est uestibulum templi maximi, quà Septentrionem spectat ab ipsis ualuis ad crates ferreas cœmiterij, quod longo tractu hypæthron, id est sine tecto sub dio est, in speciem tecte porticus redegerunt, utrinque duabus et uiginti columnis erectis; quarum binas sabinæ surculis, binas alias laureis, atque hederaceis stirpibus alternatim conuestiuerant, tectoque superne, fornicato opere, coeruleis linteis, aureis stellulis interpunctis, concinno superstructo. Extra crates ad os porticus, amplus, ac sublimis

blimis

blimis arcus imo fornice comprehensus inter duas columnas Atticas, quod genus columnarum Atticurges nominatur, extructus est; in cuius summo fastigio Leo dimidiatus anguibus tenens insigne Ciconię familię spectabatur. Et sub eo tria insignia fuerant, uirentibus ambita sertis, Grimanę scilicet, atque Capelię domus, nec non huiusce Communitatis, cum huiusmodi elogij subscriptione:

PATRIARCHAE PRINCIPIQVE
AQVILEIENSI
IOANNI HIER. F. ANTONII N. GRIMANO
P. P.
PIETATIS ET RELIGIONIS ERGO
VTINENSES
NOMINI NVMINIQVE EIVS ADDICTISS.
ERIG. CVR.

In extrema porticus parte supra cymatium quod est in supercilio ostij ipsius fani in tabula quadrangula, hederis tectis bacillis marginata, Camillos uocant, propter formam tum coloribus hominem uidisses senili specie, atque exacta iam ętate uenerandum, qui cultu pastoritio instructus, cum pedo, causia, ac pera magnis passibus tendere uidebatur in regionem salebrosam et arduam, multis impeditam fluminibus, multis montibus asperam, in quorum rupibus, eruptisque saxis aliquot ouium greges

sparsi

sparsi sine pastoris custodia errare spectabantur. Veniebat is rusti è pictura apparebat, digressus è ridenti, et amoenissima aliqua regione, natura et arte ad explendum cuiusque animum omni honesta voluptate comparata. Cui coelum sublato capite suspicienti flammae vi ardentes de coelo labi, et scintillantibus radiis in pectus eius ferri videbatur. Sub ea vero pictura hoc erat hemistichium

VICIT ITER DVRVM PIETAS.

Eodem in loco in egressu statim templi dextra, ac sinistra duae offeruntur in vestibuli parietibus lacunae, sive conchae, vulgus nicchios appellitat, in quarum altera sinistrorsum penicillo, et coloribus expressa apparebat prisca urbs Aquileia, nudata moenibus, ex ruderum, ac ruinarum mole veterum aedificiorum magnificentiam, atque amplitudinem referens: Erat cernere turres convulsas, aedes subversas, curias funditus sublatas, nihil integrum, nihil incorruptum, deserta omnia, sentibusque obducta visebantur, cuiusmodi esse res solent, quae propter vetustatem obsoleverunt, cum hac subscriptione: FVIT ILIVM.

In altera parte huic adversa urbs Vtinum itidem coloribus scite conformata, et pene ad veritatem adducta turres excelsas, fanum amplissimum, areas patentes, aedificia superba, vicorum amplitudinem, agri amoenitatem, pontes, arcus, columnas praeferebat. et super omnia arcem illam magnificentissimam in ipso fere urbis umbilico, summo editi clivi dorso magnis sumptibus impositam; unde non modo se ipsam, quā-tacunque est, omni ex parte prorsus intuetur, sed etiam

prospectum ad amoenissimos colles, uineis, et oliuetis, atque alijs frugiferis arboribus uestitos (qui eam a tribus partibus in amphitheatri formam complectuntur) etiam procul remotas totius prouincię partes longissimum prębet, quasi in bonis suis exultans ostentabat. Cui hoc lemma subscriptum fuit. IMMOTA MANET.

Antę quoque, ac testudo fornicis ad ostium eiusdem fani uersus occidentem Solem, qui est aditus e uico Gratiano, lauro cum baccis, hederaque corymbifera culti, atque exornati erant; in fornicis autem centro Germanum insigne fuit, uirenti corona de more circumdatum. Huic ultra ostio extra crates ferreas e regione positus respondebat arcus sublimis, magnoque artificio factus et elaboratus, cui pro fornice supra limen superum in modum tympani trigonali forma magnum fastigium iniectum cuspidatum erigebatur. Columnę ex asseribus compositę uirenti musco ui glutinis appacto totę contectę erant, a summo ad imum aureis discurrentibus limbis ad oras excultę omnium oculos, atque animos exhilararunt, quo genere instructis ipsum etiam fastigium apparatum fuit; in cuius umbilico muliebris imago uirginali habitu amicta, cui pro calantica, turrita arx Vtinensis capiti insidebat, canistro uimineo, quod ambabus manibus sustinebat, multas rosas, et alios diuersi generis flores, pluraque odoramenta porrigere uidebatur, cum hoc disticho:

Accipe

ACCIPE PRAESENTIS POPVLI DONARIA PRÆSVL
INCLYTE, THVRA ROSAS CINNAMA COSTA DAMVS.

In ~~ponte turris~~ interioris uici Gratiani, modo ~~solito~~ laure atque hedera, et myrto constructo; ad renouandam ueterum Grimanae gentilitatis clarissimorum uirorum memoriam, in supremo fornice sex insignia Grimanae domus argento, et aliis uiuis coloribus expressa, atque longo ueluti elo tis fascis uinculo arctissimis modis sic inter se apta, et colligata, ut unum corpus efficerent, affixa sunt: singulis que sua nomina subscripta. In ~~edito eorum fastigio~~ Venit.

ANTONII GRIMANI, PRINCIPIS ~~post homines natos~~ prestantissimi insigne positum cernebatur. Cui a dextris subiectum erat insigne DOMINICI GRIM. CARDIN. ET PATR. AQVILEIA sinistris HIERONYMI GRIM. S. MARCI PROCVRAT.

Ea uero est edis Marci procuratio, ut semel obtenta non nisi cum uita dimittatur; qua in illa inclyta Repub. nulla maior post serenissimum Principem dignitas, nulla auctoritatis excellentior habetur. ad quam non nisi prudentie et sapientie gloria prestantissimi uiri et longa multarum rerum experientia instructi primates deligi consueuerunt.

Ab inferiori parte in medio fuit insigne MARINI GRI. CARDIN. ET PATR. AQVIL. Ad dexteram MARCI GRIM. PATR. AQVIL. et ad sinistram VICTORIS GRIM. D. MARCI PROC. quibus uersus hic subscriptus

subscriptus legebatur

MAGNANIMI HEROES NATI MELIORIB. ANNIS

Ad iconem demum Crucifixi in uico Grattiano, qua parte uia Pretoria, Graeci scadosimges dicunt, deflectit ad S. Spiritum, arcus uisendi operis, ac magnitudinis materiatura fabrili una fornice excitatus est, totamque uiae latitudinem explens, et summo uertice ad ipsa domorum tecta pertingens. Supra fornicem parata, et ornata insignia Grimanae, et Capelle domus, et quae huius et Ciuitatis affixa erant, sub quibus hoc elogium inscriptum uisebatur.

IOANNI HIER. F. GRIMANO PATRIAR.
AQVILEIENSI
PRINCIPI NOBILISSIMO
VTINENSES
OB MERITA EIVS

Domus autem Antoninorum laureis, atque hederaceis encarpis, pexis que coronis hederae, et lauri frondibus singillatim, atque artificiosius inter se uinctis, insignibus que Grimanae, ac Barbarae familiae tota uernabat; cuius amoenissimus aspectus ingredientium animos plane delinire, atque exhilarare uidebatur; nihil enim praetermissum est, quod facere ad elegantiam, et splendorem iudicatum fuerit. Ostia, fenestraeque singulae uiridi tate, atque amoenitate laetitiam, hilaritatemque demonstrabant.

Principem

Principem domus iamiam muniant per altis stipitibus sabinę ramis conuestitis. superimposito hemicyclo ijsdem ramulis exculto, in cuius centro magnus clypeus argento, atque cinnabari formatus, sertoque honorifice coronatus impositus est; qui in duas equas partes secundum longitudinem ad perpendiculum dissectus, à dextra parte insigne Grimanę familię, à sinistra uero Barbarę gentis continebat. Quibus hoc distichon maiusculis litteris scitè pictis inscriptum est:

DVM GEMINI PASTORIS OVES SOLERTIA PASCET.
A CANIS FVERINT OMNIA TVTA LVPIS.

Supra ostium coenationis Antistitis aliud distichon eadem litterarum formà sub Grimano insigni ita legebatur.

QVIS GRIMANE TIBI PASTOR SE CŌFERAT: VLLVM
SIVE LAVARE VELIS PASCERE SIVE GREGEM.

Ostio quoque coenaculi Barbari adiutoris sub illius insigni hoc distichum superimpositum est:

BARBARVS ABSENTIS GRIMANI MVNVS OBIBIT.
AVSPICE GRIMANO BARBARE SVME PEDVM.

Sub alio insigni Grimano scriptum fuit:

PRISCA SVVM NOMEN QVAM LONGVM AQVILEIA TENEBIT.
TAM GRIMANE TVA HIC FAMA SVPERSTES ERIT.

Alibi sub uno scuto duo insignia complectente, nimirum Grimanum, et nostrę Communitatis aliud distichon hisce uerbis

factum

factum apparebat.

OMNIVM EGENA TIBI QVID DEM MODO NATA PARENTI.

DIXERAT. ILLE DABIS OMNIA DIXIT AMANS.

Alius clypeus in eisdem edibus alibi uidebatur, qui in duas itidem partes ex æquo diuisus duo insignia, Grimanum ui delicet, ac Barbarum comprehensa continebat: et sub eo hi duo uersiculi scripti erant:

MONSTRA LICET RINGANT HORRENDVM MARTIA NOBIS

SEPTA DVCIS GEMINI MVNERE TVTA MANENT.

Sub alio item insigni familiæ Grimanæ in eiusdem domus cenationibus alicubi hoc etiam distichum conspiciebatur:

NE MALA VICINI CONTAGES LÆDAT OVILIS

PATRIS GRIMANI PROVIDA CVRA FACIT.

Et alibi sub alio hi uersiculi fuerunt:

NESCIS QVA SIT ITER CONVEXI AD LIMEN OLYMPI:

PRÆSVLE GRIMANO SEMITA TRITA DOCET.

Alicubi etiam eleganter figuratum complurium pastorum consessum aspexisses, qui intra amoeni prati uiriditatem collecti serio de multis rebus inter se colloqui uidebantur. ab altera uero parte alia pastorum manus prodibat, horridus singulis aspectus et tristis, torua et ardentia lumina, ora distorta, buccę tumentes, extenta manus, et, ut ille ait, Triste supercilium, furiosus uultus, et acer; quos iam in pratum ingressos, illuc, ubi cęteri sermonem conserebant inter se,

iter

iter ire uelle apparebat. Ex illis tamen unus omnium maxime honorabilis, ac uerendus assurgens, ipse expellere, exterminare, eijcere his prope uerbis hosce uidebatur:

QVID MIHI VOBISCVM EST SILVARVM DEDECVS INGENS.
TVRBA PROCAX VETERVM SOBOLES MALESVADA GIGANTVM
MORBOSI PECORIS CVSTOS MORBOSIOR IPSA.

Non cessabant interea redemptores ædificiorum strenue opera promouere. quanquam sub die qui ædificabant, continuis imbribus, qui per multos dies creberrimi fuerunt, impediebantur. In templo, chori sedes patefacta est; aliquot passus extra sacellum pauimento producto: et corpore beati Beltrandi Patriarchę, quod hactenus marmoreo sepulchro conditum magnam sacelli partem cum multo sacerdotum, et cleri incommodo occupauit, in sacellum finitimum D. Francisco sacrum transportato. In locum quoque mensę assertię, quæ hucusque pro altari sunt usi, ea remota, lapidea suffecta est. Extra sacellum fabrica cum scalis undique columellis apte formatis munita, et exornata fuit. Suggesta duo ampla, et honorifica, recitandis Euangelijs atque Epistolis assignata, columnis ad ore cornua positis affixa sunt. decentibus locis Antistiti, Assistenti, et Propatriarchæ sellę accommodatę. Imagines omnium diuorum spongijs detersę, atque illustratę: demum parietes omnes extra sacellum ab imo ad summum fere tectum ex omni parte usque

ad capsas

videt ipsum organorum tapetibus, parapetasmatis, textilibus
que picturis obducti, et ornatu splendidissimo instructi, ita
ut ad elegantiam, et magnificentiam nihil prorsus deesset.
Oratores etiam consilio hoc Antistitis intellecto, (ut ex sen-
tentia res omnes paratæ, compositæ que sint) quot quot
in urbe adfuerunt, in unum locum conveniunt; absentes
per literas accersunt: sepius inter se colloquium faciunt;
cives, et assectas, qui sese honoris causa comitentur, invitant;
antambulones comparant, illos que cultu ad Oremiani ho-
signis imitationem colorato muniunt, atque condestiunt:
demum quidquid parato opus est, parant. Quumque aliquot
ante diebus tum Sexviri provinciales, qui regionis pu-
blicas res in totius provinciæ Senatu (vulgo Parlamentum
dicitur) procurant; quam Collegium patrum Ecclesiæ
Utinensis in Sanviti oppido Patriarcham honorifice sa-
lutassent: atque illi quidem per Cittadinum Fratinatem
civem nostrum, virum natalium splendore, et multarum
rerum cognitione, et scientia apprime clarum, atque
primum e Sexvirorum ordine; qui ad III. Nonas Novem-
bris cum magna equitum turma profectus, egregie apud
Antistitem suum munus explevisse perhibetur. Pro pa-
tribus autem Octavianus Pertestanneus Canonicus, itidem
civis noster, vir cum sacris, tum prophanis; et humanio-
ribus literis, atque ad ius etiam civile pertinentibus doctis-
sime eruditus, generisque celebritate insignis, cum Aloysio
Valuasonio

Valvasonio illius etiam Collegii Canonico VII. Calend. Novembris cum laude suum pensum absoluerant. Vrbis oratores demum VI. Idus Novembris cum longa equitum caterua per imbrem Vtinæ mane digressi sunt, eo animo, ut illo ipso die iter suum, quam longum est, emetirentur, et Sanuiti quo ire intenderant, peruenirent; etiam si imbrica tempestate distenti Quadriuium transgredi nequiuerunt. eo igitur in loco nocte illa morati, postridie summo mane cum inde discessissent, hora meridiana tandem ad Sanuiti oppidum magnis et assiduis imbribus uerberati perducti fuerunt. Numerus fuit totius comitatus equitum centum et quinque; qui prius quam in oppidum ingrederentur, ordinante, ac digerente nobili, ac strenuo iuuene Ioanne Antonino, qui quòd in Gallorum Regis, atque aliorum Principum aulis uersatus sit, quo tempore bello superiore Belgico sub Alexandri Farnesij Parmæ et Placentiæ Principis ductu et imperio, sua pecunia equo meruit, nauali quoque prælio, quod cum Turcarum Imperatore coniunctis armis Christiani Principes annis superioribus commiserunt, interfuit, in Quadriremi Duoda Centurio designatus, rei bellicæ laudem sibi comparauit, hoc ordine instructus est. In eo porro equitatu buccinatores quatuor fuere, cultu quidem nostræ Communitatis insigni concolore amicti, tænijs autem, siue lacinijs sericis candidi, rubrique coloris mixtim circumfusis ab humero sinistro ad latus dextrum

præcincti

prę̄cincti, qui equitatui universo pari gradu pręibant. Eos turba omnis ministrorum subsequebatur, qui terni seriatim debito loci intericcto spatio equitabant. eodem ordine terni succedebant ad triginta equites patritij ĉ iunioribus, qui tunc in eo comitatu fuerunt. et post eos solus insigni equo vehebatur Ioannes Antoninus, quem supra memoravi. mox tam cultu, quam equitatu splendide instructi binj incedebant octo Oratores, inter quos etiam HIERONYMVS ANTONINVS fuit; nam Antonio Manino subita febri correpto, et ita domi detento, ipse Antoninus illius locum Septemviris volentibus, atque decernentibus, occupavit, quibus Circumpedes sui, quo dictum est habitu albi, rubeique colorum vestiti latera cingebant: ultimo loco reliquus omnis comitatus equitum plus minus XXV. insequebatur. Hoc igitur ordine ad longum tubarum cantum oppidum inierunt, cuius populus tam buccinarum clangore, quam equorum quadrupedantium sonitu ędibus evocatus in forum iam frequens concurrerat. Illuc Oratores cum pervenissent, ad ędes Ioannis Iosephi Altani ex Comitibus Servaroli, viri comitatis, ac munificentię laude pręstantis, ĉ cuius humanitate Septemviri eas prius in usum suorum Oratorum facile per litteras impetraverant, deflexerunt. Hæc autē illorum pręcipua sedes fuit; nam alijs etiam ędibus usi sunt (priores enim ad eam multitudinem capiendam im-

pares

parte videbantur) quas Io. Carolus Sauorgnanus illustri genere iuuenis, ac benignitate incomparabili Septemuiris flagitantibus humanissime permiserat. Ubi igitur ad ianuam peruentum, qua processerant equites, hinc quidem patritij iuuenes, illinc autem tota ministrantium manus longa serie dispositi ante ędes constiterę: per quę medios procedentes Oratores, apertis capitibus, honoris ac reuerentię caussa, exceperunt, et eo atrium ingredi, atque in impluuium penetrare fecerunt, tubicinibus continuę lętissimo cantu interim concinentibus. Ipsa uero ędium facies in ostijs, in fenestris, et ubicunque id commode fieri potuit, tota protecta erat laureis, hederaceis, atque myrteis ramis: insignia quoque SIXTI V. PONT. MAX. Grimanę domus, urbis Utinensis, et ipsorum etiam Oratorum, suis locis disposita, et aptę collocata fuerunt, ita ut multum elegantię, et magnificentię spectantibus prę se ferre omnia viderentur. Ascensis scalis, ad primam contignationem cum Oratores equis dimissis peruenissent, omnia parata inueniunt: et e uestigio comitatui uniuerso sua cuique diuersoria tum in hisce ędibus, tum in Sauorgnianis, quę non longe absunt, assignata, ac distributa fuerunt. Hic Oratores statim Ioannem ipsum Antoninum cum aliquot ex comitibus et ministris allegant, qui Patriarcham de illorum aduentu doceat, eidemque significet, eos ad ipsum ciuitatis nomine salutandum, et

mandata

que ab eo ad illum habebant, exponendum semper ad
illius preceptum presto fore. Renunciat Patriarche
verbis Antonius, charissimum illi eorum adventum
contigisse, quos tum illorum causa, tum ipsius urbis,
unde quidem veniebant, multo magis quam libentissime sem-
per visurus erat: suadere tamen, uti prius sese colli-
gant, corporisque incuparent, ac relevent saltem aliqua
ex parte, in incommodi itineris labore confectum: offer-
rentque illis ultro omnium rerum suarum commoditatem.
de hora vero ad eos audiendos constitutione, faceret
eos paulo post certiores. Vix quantum a Pa-
triarche acceperat, reddiderat Antonius, cum aedes in-
gressus, et se coram Oratoribus sistens Bernardinus
Beltraminus Cremonensis, Aquilegensis Antistitis a secretis
vocatus, vir doctrina, pietate, religione, ac fide tam in-
signi, ut ei ea nihil accedere posse videatur, dixit,
se ex Antistitis precepto illic adesse, ut ipsos illius
nomine inviseret, atque deinde quicquid domi et foris
est, in eorum commodum ac beneficium deferret. tem-
pus Antistitis salutandi ipsi per se sibi statuant; is enim
et illo ipso, et postero etiam die, et quandocunque illis
commodius videretur, se presto semper futurum pollicieba-
tur. Statuerunt igitur ibi pari consensu, ut ad hoc offi-
cium prestandum, hora eiusdem diei XXII. dicta sit.
Ceterum cum turbidum intrassent, atque immite esset caelum:

iamque

iamque aer in pluuiam solueretur, de prandio rursum Bel-
tramius Oratores conuenit; monetque eos Patriarchę uer-
bis, ut, si uideatur, inseruiant tempori, et se domi contineant,
remque differant in posterum mane. Non est tamen uisum
Oratoribus horam iam constitutam mutare; quod tempore
Sanuito discedendi coarctari Patriarcham intelligerent. Neque
uero hic pretermittendum duxerim, tam in priore, quam
in posteriore congressu cum Beltramio habito, fuisse ab
eo clarissimorum titulo, Oratores honestatos; quod quidem
cum sepius iteratum fuerit, non casu euenisse, neque teme
re, et imprudenter uiro graui, et negotiorum, aularumque
experientissimo, et diligentissimo excidisse putandum est;
sed mihi quidem uerisimile, Patriarchę iussu factum, uidetur,
qui hoc etiam nomine ciuitatem, in eius Oratoribus, honore
amplissimo ornatum iri uoluerit. Salutatum igitur Patriar-
cham Oratores ad horam destinatam perrexerunt, atque
hoc ordine progressi sunt: Preibant primum quatuor tu-
bicines in locis appositis lituos inflantes. post eos octo cir-
cumpedes, atque anteambulones ibant amicti pannis colore
Grimanum insigne referentibus: his bini succedebant e
patritia iuuentute quatuor et uiginti assecle sericis induti
uestimentis; quorum etiam nonnulli aureis spirulis colla-
ribus exornati erant: tum eodem modo bini incedentes
Oratores subibant, iurisconsulti quidem indumentis tala-
ribus holosericis uillosis, sagisque, ac pileolis ex eadem

materia

materia compositis tecti, ceteri uero itidem sericis amictibus ex-culti: reliquus deinde comitatus, cum quo se magna oppidanorum multitudo coniunxerat incedebat. Singulis autem tanta cura fuit animorum suorum generositatem ostendendi, tantusque ardor ex omni parte urbis magnificentiae respondendi; ut, licet humor pluuiae de coelo missus incedentibus magnum afferret incommodum, nemo tamen ex eis pallio, aut lacerna aliqua uestes sericas contegere dignatus sit. Ad patriarchicum palatium cum peruenissent, ab Antistite his obuiam cum Barbaro Coadiutore, qui eo die Venetijs illuc accesserat, et aliquot alijs patritijs uiris extra cubiculum egresso benigne, atque humaniter excepti sunt. Vbi uero Antistes assedit, Alphonsus Bellogradus I.C. ingenij acumine, atque solertia memorabilis, qui praeter ius ciuile, ob cuius scientiam ab eo in aliquot muneribus publicis, et magistratibus, quibus laudabiliter perfunctus est demonstratam ubique celeberrimus habetur, elegantiorum quoque literarum nitore est maxime ornatus, Hetrusco sermone, illustri quidem illo, ac perpolito, quem ego in [illegible], utcunque potero, uertere conabor, in hanc sententiam dicere exorsus est.

Clinitas Vtinensis, Patriarcha illustrissime, omnique cultu, atque honore dignissime, quae in omni tempore manibus pedibus, noctes que, ac dies enixe conata est, clarum specimen praebere cum summae in te obseruantiae, tum eius, quod optimam decet

mam decet filiam, studij, atque beneuolentiæ, maxime uellet, isto tuo felici in hanc prouinciam introitu, quo sibi quidquam neque iucundius, neque optabilius euenire potuisse testatur, dari sibi, uti tota ab ipsis propemodum commota, atque excita fundamentis, huc per se concurrere, teque accedentem excipere, ac præsentem colere, & uenerari potuisset. Quoniam tamen ea res pluribus de causis et difficillima, et maxime impedita est, ne penitus factu impossibilem dicam, quum uoti sui compos, sicuti cupiebat, fieri non possit, id præstare constituit ea ratione quæ in procliui est, quæque possit effici et natura, et negotij ratio patiatur. Itaque cum hosce collegas meos uiros omni laude præstantes, meque ipsum cum eis delegerit legatos & administros suos, tui que nominis obseruantissimos, nobis publico decreto mandatum dedit, ut in eo operæ nostræ uicaria fide supposita, suis que partibus susceptis, huc eo suo nomine conueniamus, tum huius officij faciendi gratia, tum uti suæ in te pietatis, atque perpetuæ constantis que uoluntatis ac studij præclarum tibi demus testimonium. Tibi illa ipsa ciuitas Antistes præstantissime mirum immodum gratulatur; sed adhuc uehementius ipsa sibi in sinu suo gaudet, quod SIXTUS V. omnium Pontificum maximus, cuius suprema certaque prouidentia et iustitia ex hominum calliditate, atque calumnia falli quidem ad tempus potest, in perpetuum nequaquam

potest,

potest, ea tandem, multa cum laude tua, nostri que immenso beneficio, impedimenta subduxerit, que te etiam inuitum hactenus absentem retinuerunt: tuo que ad nos aduentui, cum summo nostrum omnium moerore, obstiterunt, moram que intulerunt. Imo dupliciter gratulatur, et gaudet, quod ille, qui tua est sanctitas, et beneficentia, ea actione, qua uotis nostris hac in parte accumulatissime, et liberalissime satisfecit, minime contentus, quo nos pleniori demereretur obsequio, et ad supremum fastigium omnis plane felicitatis eueheret, eodem tempore, tuum potissimum consilium secutus decreuerit, letitie nostre causas duplicare, et ad priorem gratiam alteram quoque gratiam adiungere, et coaceruare: dum nobis de nouo Pastore consultum, atque prospectum uoluit: tibi que de tali socio, et participe amplissimi istius muneris, et illustri loco sitę dignitatis et auctoritatis tuę; qui pro summa eius prudentia, et uirtute tibi maxime perspecta, pro que morum ęquitate, atque integritate, uitę innocentia, rerum omnium rariorum, et magis excellentium uniuersali cognitione, pro que ceteris illius nobilissimis, et singularibus animi dotibus, dignissime poterit per omnem ętatem tuam personam sustinere et representare, cum que Deo uisum, tibi etiam in ipsa dignitate succedere. Quare eadem ciuitas tot gaudiorum

uordginib.

uoraginibus pene submersa, dum tui intra se ipsam tanquã in propriam sedem ac domicilium, omni, quo decet, summissionis genere excipiendi, et complectendi miro flagrat desiderio, heret etiam atque etiam in ea cogitatione incerta, atque suspensa, quî possit extraneis signis et argumentis intestinas omnes, ac secretiores cordis sui latebras, atque recessus euidentissime tibi ante oculos ponere. Meminit illa quidem, se anteactis temporibus à te fuisse innumeris gratijs, et fauoribus auctã, alias que tum plures, tum ampliores, inspecta benignitate, ac munificentia tua, sibi in posterum concessum iri sperat. Nam dum perpendit, et cogitat, te genus ducere ab illustrissima, ac serenissima gente Grimana; que preterquam quòd inter maiora, ac splendidiora lumina recensetur, quibus illustrari contingit inuictam illam, et memoria seculorum omnium gloriosam Venetorum Remp. è cuius equissima, et moderatissima administratione, et imperio omnis nostra quies, ac felicitas manat, atque initium ducit, fuit etiam per tot amplissimos Pontifices, qui in ea floruerunt, precipuorum decorum, et priuilegiorum nostrorum effectrix, et conseruatrix, eadem nostra ciuitas non potest sibi non polliceri, & pro certo habere, te quoque, qui ei natura dominus ortus es, dignitate Patriarcha et Pastor effectus, uo-

luntate

suditate uero et arbitrio defensor, ac propugnator, omnibus que modis beneficus, et salutaris existis; non tantum maiores, et superiores tuos uiros amplissimos, quantum teipsum, tuas que iam transactas, et preteritas actiones emulando, sui posthac etiam grauem curam suscepturum, de que rebus suis, priuilegijs, et ornamentis uehementer solicitum fore; eo animo, ut quoad eius fieri possit, adaugeantur, atque amplificentur; quo posteris uice testimonij inseruiant singularis, et incomparabilis tue in se liberalitatis, et munificentie. Defert ipsa etiam è diuerso tibi Princeps illustrissime omnes fortunas suas tam publicas, quàm priuatas, et non fortunas modo, sed ipsum etiam sanguinem, sed ipsam etiam suorum ciuium uitam, et, quod adhuc maius est, eiusque animos, ac uoluntates in obsequium tuum, mandatorumque tuorum obedientiam expeditissimas, ac paratissimas; sicut illi conuenit ciuitati, que de uere pietatis religioso cultu nunquam deflexit: queque Grimanũ nomen in omni etate sanctissimè coluit, et obseruauit. Placeat humanitati tue Pater benignissime (te obtestamur, atque obsecramus) illi primum hoc munus, quod à nobis illius nomine prestitum est, alicui gratie apponere: illud quoque certum, atque compertum habere, à corde orationem nostram nulla in parte discrepare; hoc uno

dempto

dempto, quòd non satis exequi uerbis possumus illud studium, et amoris ardorem, quod infixum animis, cordibusque altè insitum tenemus tui semper colendi, et uenerandi: nostrarumque mentium sensus animorumque motus, et cogitationes omnes tibi, tuæque uoluntati, et arbitrio omnibus in rebus, et horis subijciendi, atque supponendi. Hæc Orator urbis nomine grauiter locutus est. dumque loquebatur, ab omnibus benigne, et diligenter est auditus. Cui cum dicendi finem fecisset, humanissimè respondens Patriarcha dixit: quòd sicut in humanis istis amoribus, et beneuolentijs, quarum constat multa esse genera, nullum neque efficacius, neque naturæ magis consentaneum genus inueniri, aut dari potest, quàm sit illud, quod parenti cum liberis intercedit: ita credere par est, tantum hoc ab illo superari, quo æquus Antistes, et Pastor populum, ac gregem suum amat, et fouet, quanto rebus, quæ sensu reguntur, eæ, quæ spiritu gubernantur, potiores omnino, ac nobiliores esse debent, et pluris semper ab omnibus faciendæ. Vnde colligere, et persuadere sibi poterat ciuitas Utinensis, imò pro comperto habere, se fuisse omni tempore ab suo Patriarcha in dilectissimæ filiæ loco habitum; nam ipse quoque certò sciebat, sibi ab ea, illiusque nobilitate ac populo uniuerso, in amore sibi egregiè responderi; id quod ex

multis

multis argumentis ante hac euidentissime cognouerat, et multo magis hoc tempore tanquam ea, quę oculis cernuntur, aperte perspiciebat; cum nullis sumptibus parcens ad se se legationem tam eximiam, atque magnificam destinauit: suumque aduentum ab omnibus intelligeat tantopere desiderari. Cui desiderio ipse quidem multo ante libentissime satisfecisset; nisi a uarijs et inconstantibus rerum humanarum euentis sua consilia fuissent disturbata atque euersa. Atque hoc in loco ipsos Oratores atque uniuersam ciuitatem rogauit ut DEO OPT. MAX. continuas preces effundant pro SIXTI V. Pontificis maximi defensione et conseruatione; quo pręsidente, et administrante, pro eius summa ęquitate, et iustitia, proque optima in rebus omnibus uoluntate, dicebat, Christianam Rempublicam iure dici, atque haberi posse beatam. Addidit pręterea, esse merito urbi nostrę, quamobrem de electione Coadiutoris, et successoris sui magnopere gauderet; habitura est enim optimum Antistitem; qui, cum diuini cultus, et Christianę pietatis studiosus semper fuerit, nihil unquam pretermittet, quod ad suum officium, et curam gregis sui pertinere uideatur. Quare illum quoque ciuitati commendabat affirmans, illam pro meritis ab eo semper et amatum, et ęstimatum iri. Ad extremum dixit, inter ciuitatem, et Grimanam familiam

militam tot amoris et charitatis indicia extare, ut ad illius
explicationem nulla plane alia probatione opus sit. obtu-
lit nihilominus, sicut ante hac nullam augendae et ornan-
dae urbis occasionem praetermisit, ita modo, et in futurum
semper vestigia maiorum suorum ingressurum, praesertim vero
patrui et fratrum, quorum optima in eam urbem voluntas
ad se quasi hereditario iure venit, ad omnem illius am-
plitudinem et ornamentum semper paratum fore. Subiecit
demum se libentissime praesentes Oratores videre et tan-
quam privatas, et tanquam publicas personas referentes,
quibus omnem suam operam deferebat, et velut Antistes
atque Pastor, et velut pater atque amicus. Cumque alia
permulta in eam sententiam diserte, atque humaniter
dixisset, surrexit, et manu Oratoribus porrecta, secum
eos in conclave, et intimum palatii recessum adduxit,
ibique iucundissimis colloquiis detinuit usque ad
vesperum. Postero die, sumpto iam prandio, ex oppi-
do lectica digressus est, ab Oratoribus, et universis
fere oppidanis deductus, atque ea nocte in Quadri-
vio quievit. Sed antequam Sanvito discederetur, ex
oratorum voluntate, ne qua in re dignitati suae defuisse
viderentur, ad Buccini [illegible] propositum et promul-
gatum edictum est: siquid cuiquam aut ipsi, aut illorum
familia deberet, cui deberetur, is rem ad ipsos, aut

eorum

corum oeconomum, et quaestorem deferret, statim enim cuicumque sua pecunia curaretur. Mane facta rite procuratis, et cibo sumpto, Quadriuio discedens ab equitibus aliquot Sandanitlensibus ad XL. numero, qui illi obuiam sunt facti salutatus est: et priusquam ad urbis portas accederet, XX. fere equites e Colloretana familia se se illi comites addiderunt.

ITAQVE ad III. Iduum Nouembris, diem D. Martino sacrum, quem diem à Deo precor, uti et ad Sixti V. Pontificis maximi, atque Imperij Veneti salutem in perpetuum conseruandam, et ad incolumitatem Antistitis nostri, numerumque annorum prorogandum, et ad nostram felicitatem firmandam, stabiliendamque illuxisse patiatur, hora XXII. IOANNES GRIMANVS Patriarcha noster amplissimus, diuis, hominibusque plaudentibus, ciuitatem ingressus est. Venit is lectica uectus ad ipsam usque ędiculam diui Rochi, ubi lectica egressus à PETRO CAPELLO Ioannis Equitis ac Senatoris illustrissimi ~~Caesaris~~ filio, uiro clarissimo, ac prestantissimo, prouinciequę Pretore integerrimo, MARCO ANTONIO ZENO celerum Prefecto (Miniscalcum uocant) et BARTHOLOMAEO CELSO Questore, Item Ioanne Comino I.C. Othelio de Othelijs I.C. Francisco Masero, Francisco Pauonio, et Petro

Thurśio

Thursio Septemuiris, qui paulo ante cum Ioanne Paulo Pernumia Propretore, Ioanne Baptista Dedo rerum capitalium quęsitore, Iurisconsultis excellentissimis, ac Orlando Orlandino scriba Pretorio fidelissimo, atque ornatissimo, cum'que magna ciuium equestrium manu ex urbe uenienti obuiam prodierant, et se se in ipsam ędem receperant, alacriter exceptus est, et letantibus, atque erectis animis consalutatus; Nam Fuluius Herculonianus et Franciscus Thiussius e Septemuirorum numero, expediti in equis ab hoc loco adhuc longius Antistiti accedenti cum PHILIPPO CONDVLMERIO Comite Sanmartiniano, Forauulieńsium pro ordinibus militum Tribuno, ac toto equitatu, honoris causa obuiam processerant. Post mutuas salutationes Antistes pedibus in ędiculam sacram adiuit, ibi'que genibus prouolutus aliquantisper Deum religiose ueneratus est; mutatis'que uestimentis Pontificia ornamenta suscepit, supparum e bysso tenuissimo, et candidissimo compositum, trabeam prelongam cum syrmate, et cuculione, e texto serico undulato purpureo confectam, et palle pellitę eiusdem materię superiniectam; cui itidem, preter cuculionem, causia molochinę, siue potius hyacinthino colore caput obtegebat. Interim Ioannes Bottanus Vtinensis libellio, et cancellarię Patriarchię ordinarius scriba equum protulerat, stiterat'que Asturem equum niueo colore scutulato tinctum, et ueste

serica

serica florulenta concolore, ad pedes usque demissa, et
totum planè corpus obtegente sumptuosius instratum.
qui cum Antistiti ex ędicula egredienti statim presto
fuit: datis què illi in manum habenis, stapedis què
dexteri incurvus utraquè manu loris enixè contentis
eidem facilem ascensum, commodum què procurabat.
continuò Antistes, pede in stapedem inserto, manuquè
sinistra surrecto ephippij cono, summo què strati fasti-
gio implicita, per se se strenuè in equi costas sublatus
est. Cum Antistite in equis erant aliquot è Septemviris ~~Oratores urbis~~, et
ceteri planè omnes; Pretor cum Marischalco, et Questore
ac Ioanne Comino Septemuiro rheda tribus albis equis
iuncta uectibatur; reliqui Comini collegę partim car-
pento, partim equis, ut dictum est, insidentes subsequebantur. Dum hęc
autem ad ędem D. Rocho sacram extra urbem geren-
tur, Oratores in urbem inuecti, ab equis cum descendis-
sent, cultum què equestrem deposuissent, omnes ferè sa-
gis, indumentis què holosericis heteromallis amicti
quibus etiam Iurisconsulti quidem ex eadem materia
togas demissas, et ad talos usquè excurrentes, ceteri
uerò penulam aut sericam holoserico uilloso suffultam
aut laneam superiniecerant, grauibus ex auro moni-
libus è Iurisprudentum collis, ornatus et decoris gra-
tia, in pectora dependentibus. paulo post urbe pedibus

egressi

egressi, rursus equo insidentem, pedetentimque, ac molliter aduentantem Patriarcham sub umbellam excipiunt. Vmbella, quę commodè posset deferri, nè ue, qui portabant, iniquo pondere grauarentur, in hanc unam causam consulto fabrefacta est è texto quodam serico candicante, lineis argenteis illuso, quam fimbriatę, et sumptuosis teniolis circumuestitę ex eodem genere texti lacinię undique pendulę, alarum in modum perçingebant. Hic Iureconsulti torquati, ut quo dictum est modo splendidius instructi, habita ętatis cuiusque ratione, ad equi latera dextra, et sinistra pedibus constitere. Collegę ceteri umbellam scipionibus affabrè efformatis suspensam gestabant. Substitit Antistes paulisper in media uia, dum multa monachorum series, quę ex omnibus urbis coenobijs cum sanctę Crucis uexillis obuiam longo ordine, et celeberrima supplicatione egressa erat, intro conuersa regrederetur: nam spectandi auida multitudo, quę non editos modò margines agrorum obsederat, sed totam uię planitiem usque ad ędiculam, quam supra commemoraui, possidebat, atque ab omni parte se se temerè obijciebat, incedentibus aditum obstruxerat, et progrediendi facultatem adimebat. Porrò tanta uis populi omnis generis è portis se se ad spectandum effuderat, uti tota urbs propè suis conuulsa sedibus ad salutandum, et

dum, et uenerandum suum Antistitem processisse uideretur. Quid autem habet admirationis tali uiro aduenienti obuiam processisse quamplurimos? cum nemo unquam iam diu fuerit in tota urbe nostra tam inops consilij; et rationis, qui sibi, et uniuersę ciuitati ex illius presentia supremum decus, et incrementum, omniumque rerum affluentiam, ac sempiternam felicitatem non polliceretur. Is est enim IOANNES GRIMANVS (hunc autem sępius honoris, et amplitudinis causa nomino) qui, prudentia sua, ac multarum rerum experientia optime nouit, quid in tota uita potissimum expetendum, fugiendumque homini sit; qua ita exacuit ingenij aciem, ut quęcunque illi offerantur, statim possit, delectu facto, bonorum, et malorum scientiam; et cognitionem habere. Tanta uero est animi moderatione, et grauitate, tanta bonitate ac beneficentia, tanta, demum ingenij facilitate ac lenitate, tanta demum auctoritate, et gratia; ut cum de multis sępius quam optime sit meritus, nemini uero unquam iniuriam fecerit, proborum hominum nullus omnino est, cui istęc perspecta sint, qui eum non in oculis ferat, seque ab eo diligi non uehementer exoptet. Quo autem loco illud haberi debet, quod in maximis etiam occupationibus, ab eo nunquam intermittantur studia doctrinę? De fortitudine uero et constantia quid attinet dicere, cum

unus

unusquisque per se ex superiorum temporum euentis, et actionibus certissimum accipere argumentum possit. Dicerem de sapientia, de iustitia, de magnificentia, de religione; Ceterum hec non sunt huius loci, atque temporis. Quare finem faciam, cum illud addidero, nos, imò prouinciam totam, imò totam hanc dioecesim pro tam singulari, ac propè diuino beneficio, quod hoc tempore apud nos collocatum est à SIXTO V. Pontifice tam optimo quàm maximo; cuius potestas proximè ad Dei immortalis numen accedit, à summo illo Pontifice, quo nec Christianorum Respub. nec orbis uniuersus post homines natos quicquam prudentius, aut sanctius uidit, tantum illi, atque ipsi sanctę sedi debere; quantum non capere cogitando cuiusquam animus possit. Qui, cum primum clauum tanti imperij, cui diuino numine prępositus est, tenere, et Christianę Reipub. gubernacula tractare coepit, quasi nihil aliud esset, quod in rerum tanti ponderis administratione gereretur, in hanc unam pręcipue curam, et cogitationem acrius, grauius que incubuit; ut cum de optimo, consultissimo que Pastore nobis aliàs optimè prouisum fuerit, ex illius tandem pręsentia fructus lętos, et uberes caperemus. Sed illuc, undè huc declinauit, recurrat oratio mea. ¶ Prodijt Collegium patrum templo maximo Utinensi addictum cum clero eius uniuerso, ante quam pompa in urbem ingrederetur,

singuli

singuli tuniculas linteas induti ritu sacerdotali; patribus solitum etiam humerorum ornamentum; Canonicęque digni-tatis insigne; Greci ἐπωμίδα, nostri almuciam uocant, accessent; quumque singillatim Antistitis genu fuissent exosculati, recipientes sese, déque uia decedentes ceteris locum dabant. Procedebat interim pompa, donec ad portam demum ab Antistite inter confertissimam hominum multitudinem peruentum est. Hic aderant Patres ecclesię Aquileiensis, et cum ijs PAVLVS BYZANTIVS I.C. Episcopus Catharensis Propatriarcha, qui Antistitis aduentum prestolabantur; appropinquanti statim factus est obuiam PAVLVS TEVPOLVS Collegij Aquileiensis Decanus, uir et animi candore, et uitę integritate sine controuersia spectatissimus, qui more maiorum obtulit illi crucem argenteam deosculandam. Illud hoc in loco in commendationem modestię, et ęquitatis animi Patrum ecclesię Vtinensis adijciendum uidetur; quod licet antea Patres ipsi pro comperto, ut dicebant, habuissent, ipsum munus porrigendę Crucis Antistiti osculaturo, et cetera omnia prestandi, quęcunque á quolibet Collegio Antistiti primum in eius urbem ingredienti prestari consueuerunt, ad se se cùm ex ueteri, ac communi omnium gentium instituto, tum ex receptis sacrorum Canonum sanctionibus pertinere; tamen nequid sua caussa publicę letitię detraheretur, diminueretur que: neue quidquam

esset

esset, quod Pręsulis aduentum posset interturbare; cum Pretor
et Septemuiri sua auctoritate omnia egissent, ut istius modi
controuersia, disceptatioque tolleretur, sponte sua in eam sen-
tentiam adducti sunt; ut hoc tempore de iure suo decedere
maluerint, quo Pretori, Septemuiris, atque uniuersę ciui-
tati gratificarentur, quam suo iure utentes, illudque reti-
nentes, contentionum, ac tumultuum excitandorum causas
afferre. Posteaquam urbem inierunt, extemplo ingens
fragor ex cannarum ahenearum explosione (Grecis πυραυ-
λικὰ ὄργανα dicuntur) quę extra urbem in fossę mar-
gine exteriori collocatę fuerant, auditus est; quod officii,
atque obsequii genus in excipiendis, ac salutandis princi-
pibus urbs nostra, et superiorum memoria, pręstare potis-
simum consueuit. exinde hoc ordine processum est. Prę-
cedebant quidem sex tibicines sex buccinas, laciniis
sericis Communitatis Utinensis inscripta insignia continen-
tibus exornatas inflantes, at ingens post eos trecentorum
et eo amplius puerorum turba a Tribunis plebis uicatim
collecta, quorum singuli singula uexillula cum insigni
Grimanę domus erecta manibus tenentes Deum confu-
sis uocibus laudabant; nominaque Sixti Pontificis ma-
ximi, Imperii Veneti, et Grimanę gentis acclamabant.
puerilis huius multitudinis tres Pręfecti maiora ferebant
signa; quibus itidem inscripta erant insignia Grimana,
Prouincię Pręsidis, atque Reipub. Utinensis; parte
autem

[et quatuor, qui continuo plausu quatuor
tympana feriebant

autem in uersa in uno hec uerba legebantur: BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE DOMINI. In altera hec erat inscriptio: LAETARE CIVITAS ECCE TIBI PASTOR ET PATER TVVS VENIT. In tertia autem. COGNOSCE TEMPVS VISITATIONIS TVAE. Hosce monachi seriatim bini incedentes consequebantur. Post illos clerus, sacrique ordines Aquileiensis, atque Utinensis Ecclesie sacros hymnos decantantes, promiscue, atque indifferenter incedebant; deinde Canonici, et IOANNES BAPTISTA PERSIVS Decanus Utinensis, generis, ac morum honestate laudabilis. Omnium postremi Canonici, ac Decanus Aquileiensis cum Catharensi Episcopo Propatriarcha ingrediebantur. Post eos pedibus subibant Patriarchici anteambulones, et familiares, tresdecimque Accensi [apparitores] Communitatis nostre, eius insigni concoloribus pannis amicti, hastasque ferro, quod caesim punctimque feriat prefixas gestantes, halabardas uulgo dictitant, atque in equo Baldus Picenus, qui crucem argenteam Antistiti preferebat. Presules enim quicunque Patriarchali, uel Archiepiscopali titulo decorati sunt, solemnibus Apostolice sedis insignibus (id quod neque ipsis quidem Cardinalibus permissum est) cohonestantur: sacrosancto pallii amictu pectus et humeros tegunt: iureque premittendi ut uexilli sanctissime Crucis uti consueuerunt. Quamuis autem Antistes noster adhuc pallium adeptus non fuerit; que res (quantum equidem opinione auguror)

ideo

ideo forsan euenit, quod una cum pallio pileolum et purpureum, omni prorsus intercessione sublata, mittendum esse Romanus Pontifex equissimus atque sanctissimus statuerit. ab eodem tamen illi potestas facta est, cum imperio ueniendi; atque ita in urbem ingrediendi, ac iure suo utendi, omnia que Patriarchice dignitatis munia obeundi, iuxta ac si ipsum pallij insigne reipsa consecutus fuisset.. Equitabat demum Antistes non longo post interuallo, sub umbella, modo quo dictum est, pedestribus Oratoribus cinctus.. Pone sequebatur prouincie Preses rheda cum suis comitibus, quos ante nominaui, sedens; post eum Septemuiri, alij carpentis, alij equis desati, et cum ijs Condulmerius Comes, militum tribunus. Nam BARBARVS Coadiutor SALVATOR VALERIVS, IVLIVS GRIMANVS, POMPEIVS PACEVS I.C. et BERNARDINVS BELTRAMIVS, hi duo etiam Canonici Aquileienses, hic a secretis, ut alias dictum est, ille stlitium iudicandarum iam diu a Patriarcha disceptator constitutus, omnes doctrine, probitatis, ac fidei merito prestantissimi; qui Patriarcham Venetijs primum discedentem, officij causa, consecuti sunt, eumque deducebant; ubi primum is ad D. Rochi lectica descendit, deuijs, ac transuersis itineribus in urbem carpentis uecti, domumque perducti fuerant. Postremo loco ciues innumeri, qui in rhedis uehebantur, et equitatus uniuersus

CLAVDIVS PVGILLINVS in Collegio Aquileiensi Vicarius Patriarchicus,

versus substitutus est quem multi opinati sunt ad numerum
esse equitum octingentorum; Omnes autem affirmabant,
nunquam visos Vtini adhuc in unum tot equites conglo-
batos: ita ut opinirent omnium nihil speciosius eo aspe-
ctu in urbe videri potuerit. Sed quasi nihil hominum
prius fuisset ab urbis portis effusum, tanta intus in fe-
nestris mulierum, virorum que multitudo inventa est, tan-
ta ex utraque viarum parte, quacunque pompa transi-
tura erat, sese copia offerebat, ut obsessa itinera semel
atque iterum ac saepius incedentibus pre turba subsisten-
dum fuerit. Populus enim tanti viri aspectu mirum in mo-
dum recreari videbatur, neque poterat ab hac spectandi su-
avitate divelli: et nisi multitudo ministrorum praeferratis
hastis gestamine e medio turbas summovissent, vias que
ab impedimento plebis, liberassent, et aliquantulum aperuissent, ego
quidem toto eo die, atque postero etiam forsan ab Antistite
domum pervenire potuisse minime putem. Perducta, ac
vecta est pompa per vicum Poscolleum usque ad turrim
interiorem, cuius porta penetrata, tum ad sinistram
deflexum est in regionem sutorum vestiamentariorum,
et ad angulum areae fori novi perventum; unde iterum de-
clinatum est ad dexteram versus forum olitorium, inde
processum adusque angustias regionis pellionum, unde
ad conspectum aedium Montis, perlustratis duabus areae
costis, per incundabulorum regionem in forum vetus eva-
sit.

sit, atque erupit. Interim cannarum magistri tormentis militaribus, quę in area fori ueui dispositę erant, ignem admouerunt; unde tam horrificus fragor est editus, ut funditus ędes conuelli, aut ipsa plane tecta ruere uiderentur. Hinc à fronte basilicę (Athenis πρυτανεῖον dicebatur) simplici ac directa uia ante aream Contarinam, ibi ducentę plane sclopetarum, siue arcobusorum cannę concepto igni crepitum ingentem dederunt, ad ędem maximam uenimus; ad cuius crates equo cum Antistes descendisset, illo ipso equo, quo uectus fuerat, cum phaleris uniuersis, Oratores, Reipub. nomine recipientes, Patrum ritu donauit. Sex uero ex ipsius anteambulonibus pro iure suo manibus in umbellam iniectis, eam sibi ex ueteri instituto, ut dicebant, debitam retinuerunt; quę tamen deinde Septemuirorum iussu HS. MCDXL. de illorum manu redempta fuit. Mox cum fanum ingressurus Antistes pedibus ad ostium peruenisset, è uestigio hic adfuit Decanus Aquileiensis qui intrantem excepit, illique signum pacis prębuit exosculandum, atque ex acerra (θυμιατήριον Gręci uocant) thuris et Arabum odorum suffimenta in os excitauit: statimque Antistes ad principem aram perductus est. Pretore, Mariscalco, Questore, ac Septemuiris, cęterisque Pretoris comitibus illum comitantibus, ubi submissis genibus, nudo capite Deum supplex adorauit. Et paulo post rursus Decanus altari inhęrens, [illegible] et ob os

et ob os Antistitis faciem obuertens suam, ex eadem

Deum clara uoce, respondente clero, laudauit, atque
illi, totoque gregi eius fidei credito fausta, ac fecun-
dissima omnia comprecatus est. Quibus rite confectis,
Antistiti fano egredienti statim Oratores post crucem, quę
preibat, se adiungunt, se se illi usque ad ędes pro ante-
ambulonibus exhibentes, atque ita uesperi domum Anti-
stes in uicum Gratianum est deductus, tympanis, ac
tubis antecedentibus, uniuersoque subsequente comitatu,
ubi uiginti cannarum explosionibus quarto salutatus
fuit. Postea bona pars, cum extremum iam tempus diei
esset, ad suam quisque domum diuerti, redireque prope-
rauit. [Septemuiri cum Oratoribus, et alijs compluribus
ad basilicam perrexerunt; (nam Pretor rheda sublatus
iam in arcem ascenderat)] hac enim ex Oratorum pre-
cepto, cum singulis suis perductus fuerat equus, uti eis-
dem tribueretur. Quibus e scalis auscultantibus, Nicolaus
Decianus I.C. cum Oratoribus de uia, Habetote, inquit, uo-
bis, uiri prestantissimi, equum cum phaleris, et ornamentis
suis, quem Patriarcha noster illustrissimus, ut hanc ciui-
tatem solenni priuilegio Metropolitanę urbis insigniret,
et nouę Aquileię titulo more maiorum condecoraret, ho-
die, cum in eam primum Pontificali apparatu ingressus
est, nobis, uestro, imo totius ciuitatis nomine accipien-
tibus liberalissime donauit. Hunc cum nobis adductum
ne ue quidquam de ueteri iure nostro perderetur, curauimus

gitauimus, ut quid de eo fieri oporteat, quo'ue ordine de-
ceni, prudentissimo iudicio uestro statuatur; calcaria, quod
Antistes tradit calcaribus usus non est, nunc ad manum nō
erant; ideo tradita non fuerunt; quę tamen ne diutius
desiderentur, se effecturos, sancte nobis illius domestici
promiserunt. Ad ea Ioannes Cominus I.C. respondens
Oratorum industriam ac diligentiam, qui sibi assignatum
legationis munus perhonorifice, et cum dignitate ciuitatis
sustinuerint, et confecerint, laudauit: eius quę rei apud
patres memoriam sempiternam futuram recepit; et in
eis ornandis, ubi res postulabit, officium suum nunquā
desiderari patiantur. Cumque eis ciuitatis nomine ma-
ximas gratias egisset, equum'que illius etiam nomine
accepisset, iussit, eum ad se se adduci, ibique ali, donec
super eo alia ratio, consiliumque ineatur. Hisce ita
actis, singuli demum, tenebris iam subortis, ad pro-
pria concesserunt. Postridie mane Pretor cum Mini-
schalco, Questore, Septemuiris, et magna Iurisconsul-
torum, atque Optimatum multitudine, buccinatoribus,
ac tympanistis de more precinentibus, editis que can-
narum bombis, ac fragoribus consuetis, preeunte etiam
crucigera, et longa manu iuuenum patritiorum, Patriar-
cham de domo in templum Franciscanorum, quos obser-
uantes appellant, deduxerant; quo in loco ab ipso met
Antistite res diuinę, sacraque facta est. Ea uero rite

peracta

peracta, quum Antistes indumenta sacerdotalia depo-
suisset, et ad aræ cornu dexterum in ipso sacello ma-
ximo duabus sellis plicatilibus cum Barbaro Adiuto-
re consedisset, Prætor autem Miniscalchus, Quæstor,
atque Septemuiri, et aliquot alij sedes alias occupas-
sent, adstantibus ceteris, quibus nullus sessionis locus
relictus fuerat, Othelius Septemuir publico ciuitatis
nomine felicem aduentum utrique gratulatus, ingenti,
frequentissimoque auditorio Hetrusce in hanc sententi-
am locutus est:

ACRE illud, uehemens que desiderium illustrissime Patri-
archa, atque idem Princeps religiosissime, quo uisendi
tui, tuique præsentis aspectu utendi ac fruendi abhinc
multos annos ciuitas nostra tenebatur, atque anxia et
solicita æstuabat, hoc tempore cum summo omnium
nostrum oblectationis, ac iucunditatis fructu diuina
benignitas expleuit; quum post tot accidentium rerum
subitos atque inopinatos euentus, post tam incertam
fortunæ uarietatem, quæ sanctissimum propositum tuum,
aliasque susceptum consilium, hactenus remorata sunt,
nunc omni prorsus uitæ commoditate posthabita, coram
nos inuisere, aduentuque tuo iucundissimo ciuitatem
uniuersam reficere, et recreare dignatus fueris. quo
fit, ut nos omnes indifferenter, sine ullo ordinis, se-
xus, ætatis ue discrimine ob euentum hunc optatissimum,
usque

usque adeo exultemus lætitia, et gaudio triumphamus, ut ex alio quouis etiam amabili, et longe suauissimo casu nihil ad hoc gaudium decedere, nihil addi posse uideatur. O faustum igitur aduentum, o accessum fortunatissimum, o uere felicissimum luminis appulsum, cuius sicut absentia ante hac uehementer nostram uit nos omnes afflixit; ita modo præsentia leuat, atque delectat. Ecce tibi Antistes amplissime ciuitas tua Utinum nomini tuo mirifice addicta, dedita, obstricta, illa ciuitas, quæ tibi, siquis amorem et pietatem intueri uelit, filia semper extitit obsequentissima: si reuerentiam, et obseruantiam contempletur, famula, et ancilla, postea quam de munere tam insigni nobis liberalissime præbito, Deo Opt. Max. iure egit gratias immortales, postquam publice editis pluribus argumentis externis domestici, atque intestini gaudij sui significationes: Ecce tibi, inquam, ciuitas tua modo tota plane gaudio exiliens, hic per nostram orationem (illius enim nobiscum hanc faciem afferimus, eius quæ negotium agimus) et tibi publice gratulatur, et se fortunatum prædicat, non ob id duntaxat, quod hanc prouinciam coram, se quæ potissimum inuiseris; sed etiam pro dignitate pallij, quæ tibi nuper à Sixto V. Pontifice Maximo ultro assignata fuit: pro quæ honestissima selectione personæ tuæ, Francisce Barbare Tyri Archiepiscope Illustrissime, qui nunc hic præsens assistis, in operum consocium, et adiutorem

adiutorem, successoremque Ioannis Grimani affinis
tui, Patriarchę nostri gloriosissimi; qui cum in profa-
nis, et a religione seiunctis actionibus in illa nostra
splendidissima Venetorum Repub. clarissimarum
uirtutum ~~tuarum~~ merito in publicorum munerum, ac
dignitatum adeptione illuc usque adhuc florente
ętate progressus fueris, quo illa ętate nemo, ~~multi~~ [pauci] eti-
am maiore unquam se peruenisse gloriari possit; quin
in sacris, ac religiosis negotijs, rebusque diuinis eundem
uitę cursum, hoc est, uirtuti cohęrentem tenere uelis,
nemo est, qui dubitet. Itaque nobiscum preclare actum
esse ducimus, idque uniuersę [ciuitati] ~~urbi~~ prospere, ac felici-
ter euenisse, quod precursorem tuum huc modo ueni-
entem, quasi agnoscendi gregis, ac populi tui causa,
quem aliquando recturus, et doctrina, claroque atque
illustri uitę exemplo in ęternę salutis uiam directurus
es, fueris consecutus. Quare tibi quoque Barbare
modis omnibus reuerende, collatam in te dignitatem
amplissimam sine fine ex animo gratulamur, nobis-
que impense gaudemus, ea spe, uti sanctis Ioannis
Grimani affinis tui uestigijs semper insistens, et ab ho-
nestis illius uiuendi rationibus ne latum quidem unguem
discedens, ~~totus~~ in eius imitationem incumbas; et non
modo dignitatis, quę quidem ampla est, sed ipsius
etiam beneuolentię, et charitatis, qua nos omnes

semper

semper paterna animi inductione prosecutus est, hęredem
-et, ac successorem esse cognoscas. Quandoquidem et exi-
-mię animi tui dotes, cum ardente in obsequium Dei
affectione coniunctę, et generis, unde originem ducis,
claritas per prestantia nobis abunde pollicentur; nanque
e nobilissima Barbarorum stirpe es oriundus, e qua
tanquam ex equo Troiano innumeri, ij que prestantissi-
mi heroes omni tempore prodierunt; quorum est unus
Hermolaus Barbarus (quem honoris et excellentię gra-
-tia nominari par est) uir ob pręclaram eruditionem
atque doctrinam scientiarum parens appellatus, et hac
ipsa Patriarchica dignitate merito insignitus. Eum se-
-cutus est Daniel Barbarus, itidem electus Patriarcha
interiorum; atque reconditarum literarum scientia ne-
mini secundus. Nunc etiam uiuit, uiuetque in longam
posteritatem M. Antonius pater tuus uir illustrissimus
et ędis Marcię Procurator amplissimus; qui pro singula-
ri eius uirtute, atque integritate locum habuit in illa
grauissima, et longe omnium pręclarissima legatione,
quę uestrę Reipub. nomine proxime superioribus
diebus acta est ad Sixtum V. Pontificem Maximum.
Pręter hos sunt, fuerantque alij quoque in omni ętate
uiri hinc profecti cum rei bellicę, ac literarię gloria;
tum religionis, ac ciuilis prudentię splendore ita ex-
cellentes, uti rebus ab eis gestis uberem scribendi
materiam

materiam suggerere præsentibus, et futuris ingenijs possint. Sunt igitur nobis illustrissime Patriarcha (nunc enim iam ad te redit oratio mea.) optimæ, ac iustissimæ causæ, quam obrem hodie tantopere lætari debeamus: et auspicatissimum hunc diem magnificare, et colere memoria sempiterna; qui inter tot præclara Christianæ Ecclesiæ lumina solito nobis hilarius, atque splendidius illuxit. Id'que tanto magis, cum ad ea, quæ dicta sunt, illud etiam pro nostra solida, ac perfecta uoluptate accedat, quod tu Princeps sapientissime huius urbis nostræ, quæ nobilissimæ Fori Iulij prouinciæ iure caput, ac metropolis est, auctoritatem, et dignitatem tuendi, et conseruandi gratia, in ea aliquandiu (quod equidem temporis admodum exiguum, atque angustum fore arbitror, cum te uirtutes tuæ ad ampliorem adhuc honoris, ac dignitatis gradum diutius uocent) sedem, ac domicilium ponere, et residere constituisti; id quod ab hinc tot seculis ab ipsis etiam priscis Patriarchis obseruatum fuit. Quod quidem à te idcirco præstari, certum est; uti gregem hunc tibi dilectissimum per te ipsum pascas, uiam'que salutis ingredi condocefacias. O uerè sanctam, et te Præsule, Pastore, et Patre dignissimam deliberationem, cuius opera fuerunt Deo semper accepta, et cum officio coniuncta, ac nulla unquam ratione à pietate, & religione disiuncta. Is enim es, in quo præter cæteras uirtutes eximias,

præter

preterque exactam humanarum, ac divinarum rerum cognitionem, atque scientiam, ingens iustitie, fortitudinis, prudentie, integritatis, atque innocentie singularis exemplar omnes suspiciunt, et admirantur. Quid autem est, cur ij, hec qui intelligunt, in admirationem traducantur? cum tu genus ducas ab augustissima Grimanorum gente, que antiquum fuit, atque perpetuum Patriarcharum, Cardinalium, et Principum seminarium. Quorum autem Patriarcharum? nempe maiorum gentium (sicuti de Diis suis, quos etiam Selectos vocauit, dicere solebat antiquitas) hoc est, à primario, atque maiore Patriarchatu, quem hac etate cognoscit Ecclesia; quippe qui viginti ferè presidet Episcopatibus, qui tot regnis propemodum equiparari posse videantur. Quorum vero Principum? Principum nimirum (preter alia oppida, et loca, que libera potestate, summoque imperio, tum in sacris, quàm in profanis rebus tenent) antiquissime, ac nobilissime urbis Aquileie olim in omnibus universi orbis terrarum orbis ciuitatibus secunde, Rome filie, urbis autem Venetorũ parentis: illius urbis, que constans orthodoxe fidei semper propugnaculum fuit: estque totius orbis theatrum amoenissimum; qua Sol, qui luce sua cuncta perlustrat, nusquam habet, quod possit maius, aut splendidius intueri. Ceterum quid hic Venetiarum Principes tacitos relinquo? in quorum numero precipuum locum obtinuit Antonius Grimanus auus tuus, uir et belli, et pacis artibus illustris,

atque

atque ob res domi, forisque pro patria ab eo pręclarissime gestas celeberrimus; qui bis declaratus Imperator totius maritimę rei, semel quidem aduersus Carolum Gallorum Regem in Apulia, et in Magna Gręcia, iterum contra Baizetum Turcarum Imperatorem; quo cum tam ut patrię operam nauaret suam, quam ut Imperium Christianum tueretur, et propagaret, sępius aperto Marte pręliatus est, magnam ubertatem, rerumque siluam pręclaris historiarum scriptoribus subministrauit. Hic omittendam duco spectatarum uirtutum, rerumque à tribus Grimanis Patriarchis proximè pręcessoribus tuis bene gestarum memoriam, à nobis sanctissimè cultam ac firmissimè custoditam: Dominicum intelligo patruum, et Marinum, ac Marcum fratres tuos; quorum illi quidem ad amplissimam Cardinalatus dignitatem prouecti fuerunt, Dominicus etiam proximè ad summũ Pontificatum accessit: Marcus autem uir ad belli, pacisque munia eximius, in illa armorum communitate et consociatione, quę inter Christianos Principes contra Solimanum Turcarum Regem facta est, classi Pontificię à Paulo III. Pontifice Maximo cum imperio pręfectus Nicopolim uiriliter oppugnauit, et Castrum nouum cepit. Quorum munificentię nostra urbs in immensum debet, pręsertim uerò Marino, cuius in nos beneficiorum memoriam nulla unquam ętas oblitterabit. Is enim hanc ciuitatem solenni priuilegio Metropolitanam appellauit, et nouę

Aquileię

Aquileię titulo insigniuit; Unde fit, ut ubi trecentorum antea annorum spatio Pertoldus Patriarcha utranque ciuitatem, Aquileiam uidelicet atque Utinum ita coniunxerat, ut communibus inter se ciuitatis iuribus, honoribusque ac priuilegijs uterentur; idque propterea nostra urbs fidei simulachrum, quam tunc Aquileię dederat, signo suo exprimendum curauit: modò uerè possit affirmari, Marinum è contrario uoluisse unam è duabus, hanc in illam transferendo, constituere ciuitatem. Et quemadmodum multis antè seculis Otho Imperator, eius nominis primus Aquileiensibus Patriarchis Utinum donauerat; ita deinde ab uno Patriarcha fuisse contrà Utino Aquileiam donatam. Is uerò Marinus fuit; cuius ego totius uitę actiones omni laude dignissimas si prosequi dicendo uelim, nimium à mihi proposito fine digrederer: neque forsan hoc muneris illa ratione explerem, quam et nostri officij necessitas, ac temporis angustię mihi prescripsisse uidentur. Quamobrem Presul amplissime (ut tandem perorandi causa, adrem redeam) affirmo, quòd hęc urbs ob innumera, eaque singularia beneficia, quibus ante huc à te, maiorumque tuorum munificentia, ac liberalitate plena manu affecta est, tantum tibi, tuisque omnibus debere profitetur, et prędicat; ut cum per uirium imbecillitatem, ad illustrem illam gratę, et propensę uoluntatis suę expressionem, sicut et meri-

torum

torum amplitudini, et animi sui magnitudini conuenient,
peruenire non ualeat, uice omnium quecunque uel colu-
mnarum, atque arcuum erectione, uel colossorum, et sta-
tuarum positione extrinsecus afferri possent, perpetu-
um simulachrum, uiuum que altare in medijs cordis
penetralibus Crimanorum Principum numinibus eri-
get, et collocabit; unde non presentis modo, sed etiam
future etatis homines amplitudinis, ac felicitatis sue
auctores agnoscere, et perpetua beneficiorum acceptorum
commemoratione, nomen uestrum inter nos immortali-
tati commendare possint. Atque hoc in loco, ut tacent,
Antistes illustrissime, eadem ciuitas nostra omnibus amo-
ris, studij pietatis officijs, te gratiosissimum paren-
tem, pastorem, et dominum suum et tanquam filia,
et tanquam ancilla ueneratur, et colit: tibi que stu-
dium, officium, operam, fidem, opes, et fortunas suas,
se que ipsam denique uniuersam, quanta quanta est,
maxime pollicetur, ac defert. Quibus ex rebus si tan-
tum apud te gratie sibi colligere, & comparare potu-
erit, uti se a te diligi, & rerum chariorum loco poni,
& collocari, quod quidem uehementer expetit, intelli-
gat, omnia a te sine ulla dubitatione consecutam fuisse
iure, merito que iudicabit ... dixi
Cum que is perorasset, ad Antistitem accedens ab eo
humanissime acceptus, et laudatus est. Mox surgen-
tibus

tibus omnibus, atque è templo egressis, iterum presto cum tubis, ac tympanis administri fuerant; qui preeuntes cantu, plausuque memorabili omnes ad salutandum, & uenerandum Pastorem suum è domibus in uiam, aut saltem ad fenestras excitabant, atque inuitabant. Vbi ad ędes uentum est, rursus magistri cannarum horrifico fragore Antistitem, & omnem comitatum salutauere.

De prandio à ciuibus in basilicam est conuentum; ubi et ex solenni frondium, picturarum, et aulęorum apparatu, & ex ciuium multitudine, & ex continuo buccinarum, et tympanorum strepitu, nihil non magnificum, ac regium propè uisebatur. Illic et deambulando, et lętis ac iucundis sermonibus diem eximendo, atque fallendo (iam enim dilata uadimonia, intermissa iurisdictio, iustitium indictum, sublata iudicia in triduum fuerant) usque ad uesperam hilariter plerique omnes commorati sumus. Sub serum eiusdem diei, noctis tenebris iam ingruentibus, factitiorum ignium celebritas, atque spectacula cum magno populi plausu, in conspectu ędium Antoninarum, ad quas, uti prędiximus, Antistes cum comitibus, & familia diuerterat, edi cępta sunt. Multo enim antea Septemuiri nonnullis tormentorum bellicorum libratoribus, illorumque cohorti pręfecto, et magistro hoc opus tribus noctibus faciendum non leui pecunię ui locauerant. Hic uidisses chartę in se ipsam, teretis ope bacilli, spirę modo in plures tunicas reuolutę sacculamenta quędam,

seu

seu potius siphunculos, ac fistulas palmari longitudine, arundinum plane defectu internodia referentes, quos recte papyraceos tubulos appelles, bona pars Italorum radios uulgo dictitat, nostrates rochetas uocant. Hi tubuli puluere tormentario, e nitro, et sulphure, ac colurno, uel salignе carbone in mortario subactis, ac diligenter intertritis conflato instipantur, ac suffarcinantur: et ab una parte tenui spiramento relicto, ab altera fortius intersepiuntur, atque obstruuntur. Admota igitur extrinsecus, cum res postulat, ad angustam illam rimulam quamuis exigua scintilla, ignique intrinsecus repente concepto, tanto impetu e diuersa inter se qualitate rerum commistarum tumultuante materia, alij, adnexo uirgulę adminiculo cum stridore, longo post se scintillantis ignis tractu, fomitu que (stricturas Latini uocant, et fomites, Graeci πυρεῖα, ἢ πυραρίδας, Homerus σπέρματα πυρὸς appellat) relicto, usque adeo in altum subuolant, ac sublime feruntur; ut inter ipsos astrorum ignes, aut saltem in ipsis ętheris flammis sese condere, atque immiscere penitus uideantur; cursu nonnunquam tam pertinaciter in rectum acto, atque seruato, uti, ferente materia destituti, igne que consumpto, in eundem plane locum, unde emissi fuerant, deferantur, et cadant; hos magistri radios aerios uulgo nominant. Alij in confertam multitudinem iactati, quasi sursum attollere se dedignentur, hac et illac humi temere serpentes instar anguium, in crura singu-

lorum

Lorum incursant, ac trepidantis, & tumultuantis populi po-
dibus implicati omnia conturbant, atque permiscent; ob
quorum uagam, & errantem naturam, insani radij nomi-
pantur. Neque desunt, qui transuersum aëra tranantes,
postea quam longius aliquanto perlati sunt, extemplo
ternis, quaternis, & pluribus interdum alte editis cre-
pitibus fatiscentes, ac dissilientes commoriuntur; sclo-
pos istos appellant. Nonnulli etiam parantur, qui præter
spiritosi, & uaporulenti, sibilantisque ignis eructationem
nihil habent insignis, atque admirabilis; hosce uulgo suf-
flones dicunt. Hic ergo harum machinularum, & organo-
rum artifices, & magistri cum aliis in locis compluribus,
tum è turri potissimum collis Gratiani, quę Antoniniorum
ędibus è regione posita est, cum magno quamplurimorum
qui spectandi studio conuenerant solatio, & oblectati-
one, in tertiam ferè noctis horam uarios ludos hisce fa-
culis multifariam multimodisque concinnatis ediderunt.
Compositi in primis fuerant cycli, seu rotę quędam in tur-
ris meniano, aliquot tubulis puluere pyrio refertis, sibi
inuicem respondentibus, & statuto tempore incendium sup-
peditantibus munitę, totęque hederaceis frondibus cir-
cumtectę; quę cum primum ignem conceperunt, sphęrico
motu in orbem rotari, & tum celeri gyro circumferri ali-
quandiu uisę sunt; ut oculorum acie spectatores uix per-

sequi

sequi motus celeritatem possent. Tubę quoque duę apparuerunt, in quibus magnus et reptantium, & crepitantium radiorum numerus conflagrare spectatus est. Preterea in sublimi finibus à turri ad oppositas Polydori ędes distentis suspensus erat globus papyraceus, in speciem follis pugillatorij concinnatus, itidem uirentibus ramis circum uestitus; ad quem cum suo tempore per contentum funiculum è turri incensum tubulum iaculati fuissent, globus inde contracto igni derepente displosus est, et tantam uim radiorum omnis generis hac illac, sursum deorsum atque in omnes partes euomuit; ut mirandum uideretur, quomodo in satis angusto globi ambitu tantum fulgurantis materię comprehendi, includique potuisset. nam preter eos, qui disiecti sunt radij, plures intus adheserunt, qui et stridentibus ignium iaculationibus, et crepitantibus sonis diutius spectantium oculos pascebant. Hec ego quidem dum tacitus suspicio, mihi uisus sum discurrentium, uti uulgus existimat, siderum, & è coelo cadentium lapsus intueri. Quum rerum naturę sagacissimi stellas, cum decidere creduntur, igneam eam uim reddere nimio alimento tracti humoris affirment. Alij docent, id è sicca exhalatione, quę in aere sursum lata est, euenire; unde emicant faces, et bolides, et trabes, et alia id genus impressiones. Verum ista temere forsan et

fan, et intempestiue nimis hoc in loco. quare ad institutum
reuertar. Interim, dum spectacula edebantur, uarius eris cam-
pani tinnitus ex altissimis fanorum turribus amoenissime red-
debatur; in quibus etiam, atque in summa pretorij specula or-
bes è picea, stuppea'que materia conflati, uulgus buccellata
uocat, in multam noctem colluxerunt: neque interim buccina-
tores, et tympanistę sonitum edere militarem cessabant. Demu
cum aliquot mortariola ingenti fragore explosa fuissent, ita
spectaculis prime noctis finis impositus est. Idibus Patri-
archa mane domo egrediens iterum ab uniuerso magistratu
& magna togatorum, atque palliatorum ciuium caterua sa-
lutatus est: et clangentibus tubicinibus, tympanistis que de
more tympana pulsantibus, preeunte crucigero, ac reliqua
patritiorum iuuentute; cum coeli temperies admirabilis,
& ante hos paucos superiores dies incassum diu cupita aëris
serenitas omnium animos ad iter longiusculum per urbem
faciendum inuitare, atque allicere, & incitare propemo-
dum uideretur; ad Diuę Iustinę, quo in loco Capucinorum
fratrum familia commoratur, per uicum Æmonensem ad-
ductus. Hic rem diuinam cum ijs, qui ędę capi potuerunt,
nam maiorem partem sub dio esse oportuit; quod ędes prę
angustia tantę multitudini recipiendę par non erat, audiuit.
Qua ritè facta, per Lazareum uicum regressi ad Diuę Lucię
peruenimus. Quum que declinatum esset de uia ad dextram;
in uicum Marianum ingressis statim in conspectu se se obtu-
lerunt ędes amplę et superbę, quas Franciscus Maserus ex
ordine

ordine Septemuirum magno animo uir; et omnium rerum co-
pia circumfluens, ad extremum huius uiæ terminum, longo
prospectu fori uico dominantes, à solo, et fundamentis ingenti
pecunia recens excitauit; opus certè, siquod aliud in urbe
nostra magnificentissimum. Huc postquam peruentum est,
Antistes, inuitante, atque rogante Masera, intrauit; et ascen-
sis scalis, uniuersas partes cum comitibus perlustrauit, ac
commendauit. Inde digressi, per pontem, qua iter est in
aream fori noui, in urbis corpus interius penetrauimus, et
recta domum uersus profecti sumus: illuc autem cum aduenis-
semus, organorum pyraulicorum artifices radios complures in
auras, incassum tamen omnino, atque inutiliter emiserunt: quod
Solis radijs obscurati, atque restincti oculos intuentium penitus
frustrarentur, ac fallerent. Mox uiginti planè mortariolis,
igne apposito, graui fragore crepitus solitos excitarunt, et
prandij sumendi iam tempus aduenisse monuerunt. Pran-
dium ubi sumptum est, rursus in basilicam Septemuiri cum
magna ciuium frequentia ad hilaritatem solitam conuenerunt.
hic usque ad extremum tempus diei inter buccinarum cantus,
plaususque tympanorum, sepositis aliquantisper grauiorum
rerum, negotiorumque seueriorum tractationibus cum amicis
omnes iucunditati se dabant: interioremque lætitiam modis
omnibus ostentare adnitebantur. Iam uero nocte appetente,
populi concursus iterum ad spectacula consueta in uicum Cora-
tianum factus est; ubi radij in primis uolantes sine numero,

quoad

quoad ludi celebritas perseverauit, editi passim fuerunt cum magna spectatorum uoluptate; neque interim a radiorum reptilium iaculatione cessabatur; quin, qua in loco populi multitudo confertissima apparebat, illuc praecipue spargebantur; nam e uulgi turbas facientis inquietudine, ac perturbatione magnum ij, qui in tuto positi omnium periculorum expertes erant, oblectamentum, solatiumque reportabant. Constitit ea nocte in media uia homo septus ferro a summo capite ad imum calcem, cassidatus, thoracatus, manicatus, ocreatus, laeuo brachio ingentem clypeum sustentans, dextera strictum gladium tenebat, exitum omnes suspensis expectabant animis; ut quo res euasura esset, uix possent conjectura suspicari. Mox puluis sulphureus, qui cauo clypeo tegebatur, igni aliunde assumpto (magna est enim huic puluere cognatio ignium, transiliunt que undecunque protinus in eum pene uisum) fulgurare coepit, crepitus que sclopetarium instar emittere, strictura longe, late que iaculari, radios erraticos iactare, ignes undequaque uomitorijs radijs eructare; ita ut armatus ille conflagrare totus uideretur. Quippe erat is clypeus instrumentis ignivomis omne genus grauidus, et praegnans. Dum uero spectaculum istud, quod diutius in se tenuit omnium oculos impeditos, et occupatos, deficiente materia, iam languere uidebatur; ecce tibi e turri Gratiana bine buccinae promuntur, ramis, ac frondibus hederaceis amictae, sex ignium manus sex temporum interuallis distinctas complectentes; quas concepto igni scintillare, sibilare, et crepitare

alterum, aut alterum

uno

uno tempore apparebat. Ollę præterea quatuor longis ignibus factitijs exarserunt: et trochi ~~duo~~ ignium ui per aliquod temporis spatium in ambitum ferri, et circumagi uisi sunt. Non cessante interim e sacris turribus ęris campani sono amoenissimo, & rauco tympanorum strepitu; fractoque sonitu tubarum commune gaudium, quo urbs in coelum ferebatur, publice contestari. Ad extremum horrifico uiginti mortariorum fragore omnes domum suam ad coenam dimissi fuerunt.

Ad XVIII. Calendarum Decembrium mane rursus cum Septemuiris, et frequenti ciuium conuentu in uicum Gratianum Antistitis deducendi, ac comitandi gratia perreximus; qui domo egrediens, & a cunctis reuerentissime salutatus; quod coeli serenitas optatis nostris arrideret, & longinsculę deambulationi iterum fauere uideretur, per patentem planitiem (uiridarium uocamus) ad Diuę Marię oratorium, ubi Seruitarum domicilium est, perductus fuit, tubicinum, & tympanistarum, iuuentutis que, ac cruciferi pompa de more prægrediente, & dato prius in ędium egressu per explosionem cannarum signo consueto. Hic litatorio sacro, quod ab uno ex illius familię fratribus peractum est, religiosissime interfuit. Huius porro instituti continua obseruatio Christianam animi pietatem maxime commendat, et prodit. Deinde postea eadem, qua itum fuerat, remensa uia domum remeauimus; Vbi cannarum magistri rursus omnem comitatum longis cannarum bombis salutarunt. Tum Septemuiri

in curiam

in curiam coacti, ut opus coepti theatri strenue conficeretur, magno studio persequi decreuerunt; quod opus ab hinc mensem, & amplius inchoatum magna uis imbris aque missa coelo hactenus interrupit, ac remorata est. Antistes enim, qui Rempub. ex multis calgarum, ac peristromatum sarcinis, que in eam causam huc Venetijs exportanda curauerunt, ingenti ducentorum sestertiorum foenore in singulos dies grauatam esse, multo ante persenserat, summo paterne charitatis affectu urbis beneficio ac commoditati studens, qua ipsa quam ocyssime hoc onere leuaretur, edixerat, se proxima luce Dominica publice rem diuinam esse facturum; ideo curarent, ad quos pertinet, ad eam diem, que opus sunt, parati ut essent omnia. Accersis igitur iussis redemptoribus, qui illud edificium conduxerant faciendum, monent eos, Septemuiri, ne tempus adeo commodum, & opportunum frustra labi patiantur; operi noctes atque dies omni conatu insudandum, summa que ope adnitendum, ut usque in Dominicum diem extrema manus imposita sit. Si pauciores, quam tempus, & res postulant, esse operis appareat, plures conducantur; ne quicquid hactenus factum est, frustra esse factum uideatur. Preficiunt insuper curatores uniuerso negotio ciues duos patritios Ricardum Cominum, & Marium Thursium, uiros industrios, atque solertes, qui fabros materiarios, pictores que, & eos, qui frondium uiriditate theatrum exornant, stragulorum que, & tapetium applicatione circum uestiunt, ac tegunt, continenter urgerent, fabrili que huic materiati-

oni

ani præessent, atque horis pene omnibus insisterent; sine quorũ solertia, ac sedulitate tantæ molis absolutionem, atque perfectionem vix sibi polliceri audent, integræ adhuc etiam interiecto mense, dicebant. Non procul aberant tunc, cum hæc ita agebantur, Cominus, & Thursius, quos supra memorauimus, qui ea de re certiores facti suam omnem operam ciuitatis commodo in re qualibet nunquam defuturam esse recipiunt. A prandio iterum in basilicam conueniunt. Septemuiri per se se in rem præsentem contendunt: quid agatur, circumspiciunt: dictis cessatores castigant: impigros, & ardentes collaudant: omnia agunt, ut, postea quam Deus huic operi, quod in eius gloriam, & nostri Pastoris decus institutum est, coeli serenitate suam præsentiam commodat, ipsi sibi minime defuisse videantur. Post hæc, ibi curatoribus dimissis, ad basilicam reuertuntur; ubi magna populi multitudo inter buccinarum & tympanorum sonitus oblectabatur. Hic perstitum est usque ad noctem. Deinde alij domum quisque suam, alij ad spectacula concesserunt. Collocatum fuerat in media via, qua iter est ad S. Spiritus ædiculam, conspicuum, amplumque ædificium in septæ areis, turritique Castelli speciem, forma quadrata, asseritia, atque papyracea materia constructum, pinnatis moenibus cinctum, quatuor ad angulos suis propugnaculis communitum, & supposito tabulato, altius a solo excitatum, et tectum, uti perspicuum esset omnibus, qui in eum vicum spectandi gratia conuenerant. Erat illud quidem vacuum interius a materia, sed ignivomis organis totum repletum, & scatens. tecti

intus

uiatis latebant tubuli efflantes XXX. & tenues cannæ, quas arcobusos
dicitant, XX. radij uagi, ac temere errantes plus minus quin-
genti, alij radij crepitantes trecenti numero. In medium autem
stagnum, quod subluit collem Gratianum, qua parte colli Mic-
cossiano finitimus est, ratem contextam egerant (genus illud est
nauigij plani, iunctis inter se trabibus compactum.) aliquot ho-
minibus impositis, qui undique nauigantes hac illac spargerent,
aerios, & euolantes, quam possent plurimos emitterent. Ex ea
uero iaculatione spectatores incredibilem uoluptatem atque iu-
cunditatem percipiebant. Ignes enim illi non hominum manibus
iacti, atque uecti; sed e medijs aquis orti, ac per se sur-
gere uidebantur. Illud etiam accedebat, quod ignium fulgor
ex aquarum planitie reflexus, in noctis tenebris tanta
efficacitate reddebatur: ipsumque aera circumquaque tanta
luminis claritudine repleuerat; uti spectantium oculis perstri-
ctis; incendia omnia duplicata uiderentur. Et, ut ille ait:

Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia peruolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Apparuit etiam interim e turri Gratiana ingens rota, octo
ignium terminis, ut magistri uocant, distributa, atque distin-
cta. In ea fuerunt radij efflantes VIII. reptiles XXIIII.
striduli, ac crepitantes LXIIII. aerij LXXX. in quam, simul
atque ignis admotus fuit, aliquandiu uidisses omnium ora
atque oculos esse conuersos. Visæ quoque ibidem fuerunt
buccinæ tres, quarum ignes in nouem temporum spatia par-

siti fuerant; singulis noueni radij serpentes, quaterni et uiceni crepitantes includebantur. Olle etiam quinque ad suscitandum incendium, flammasque ingentes excitarunt. Duodecim rotule, que circum axem aliquantisper ui ignis summa celeritate conuerse, ac torte sunt. Postremo loco cum magno tympanorum plausu, tubarumque clangoribus, ope radij, qui tum e turricula iaculati fuerant, ignis in castellum, quod supra nominauimus, succensus est; unde repente tantus fragor audiri coeptus, tot sclopetarum bombi, tanta uolantium et crepitantium radiorum copia apparuit; uti rem non imitatione simulatam representari, sed uere agi, tamquam castri alicuius expugnationem uidere sibi quisque uideretur. Locus enim ille totus undique tum lituorum, et tympanorum strepitibus, tum sclopettarum ac radiorum sonitu percrepabat. In eo spectaculo cum magna omnium admiratione hore spatium fere consumptum est. Quibus ita expeditis, resonisque uiginti mortariorum ictibus in coelum laxatis abeundi signum est datum. XVII. Calen. prima luce Antistitem salutatum uenere prouincie Pretor, Mariscalcus, Questor, Septemuiri cum maxima utriusque ordinis ciuium frequentia. Magistratus ascensis scalis cum eo aliquantulum in cubiculo fuerunt. Mox cum descendissent, una omnes ad delubrum Minoritanum profecti sunt. Ibique rei τοῦ θεοῦ λειτουργία, qua unus illius familie frater religiose operatus est, interfuerunt. Ea uero absoluta, quum Antistes Pretor, Magistratus, et maior optimatum pars in ijs sedibus que ante parate fuerant, consedissent, circumstantibus reliquis, Ioannes Dominicus Salomonius collega meus prestanti doctrina

ctrina, & excellenti ingenio uir, cuius ego industriam, & fidem, uite que, ac morum integritatem, ut cum maxime, nunquam tamen satis laudauerim, ut sibi ab urbe prius impositum, a se que susceptum officium, & muneris exequeretur, iusta orationem Latine habita Grimane familie proceres, ipsum que Antistitem potissimum, atque illius nunquam a uirtute seiungatas actiones frequenti consessu, corona que attentissime audiente, publice laudauit: nostrum que omnium ob eius felicissimum aduentum et publice, & priuatim perceptam letitiam declarauit, multis in medium adductis rationibus, quamobrem ciuitas nostra, nos que omnes nunquam intermoritura letitia perfrui, solidis que gaudijs in perpetuum exultare debeamus. Eam orationem, quoniam in manus hominum iam peruenit, huic narrationi inserere, inane mihi omnino, superuacaneum que uisum est. Surgente demum Antistite, post eum surrexerunt ceteri omnes; et extra templum egressi, cum paulisper, aëris placida alliciente tranquillitate, urbem circumiuissent, haud ita multo post Antistitem domum suam perduxerunt. Eodem die Patres iteru structure apparatus in foro nouo instare perseuerarunt, maxime dubitantes, ne facultatem illius operis opportune perficiendi, quod a perfectione adhuc longe aberat, angustia temporis auferret. Curatores arcessi iubent: illorum industrie, ac diligentie publicam ciuitatis, suam que dignitatem commendant. Curatores contra bono animo illos esse iubent, se uideant, interdiu, noctique in ea re tantum opere, studij que ponetur, ut ad diem et horam prestitutam opus effe-

ctum

etiam, atque absolutum habeatur. XVI. Calendas, quo die tragemata, quę Patrum iussu Ioannes Baptista Marchesius Reipub: Quęstor Venetijs adhibito studio componenda, & compingenda curauerat, Utinum perquam tempestiue appulerunt; in curiam cum Septemuiri conuenissent, omnibus uisum est, quando res, quęcunque Antistiti nostro muneris dandi causa, sicuti publico urbis decreto constitutum fuerat, Venetijs expectabantur, hodie tandem perlatę fuerunt; modo cum a coagmentatione recentes sunt: & ideo gustatus earum sensui multo gratius, atque iucundius necessario accidebit; hoc negotium in aliud tempus differri nullo modo oportere: sed primo quoque tempore curari, atque confici. Illuc igitur deferri iussis arcis, quibus inclusa bellaria cum rebus alijs continebantur; atque ijs apposite resignatis, & reclusis, educta omnia, ibique exposita fuerint. Et cupedię quidem in mallunijs argenteis lato patentibus in hunc usum preparatis compositę sunt: funalia cerea, et candelas, aliquot baiuli gestabant. Illuc etiam ex precepto Patrum ~~allata et~~ comportata fuerant cetera omnia, quę in eam causam prius aut in urbe, aut in prouincia comparari curauerant, totque geruli arcessiti, quot ad omnia commode perferenda satis esse possent. Quę uero illa tandem fuerint, quando hec est initi ratio singillatim omnia describendi; ut hac etiam in parte multorum, qui nimis sunt in alienis negotijs curiosi, desiderio satisfaciam, hoc ordine singula notabuntur. Quippe Venetijs quę sunt exportata, hęc fuerint:

Funalia

Funalia è cera orientali candidissima, aptè conflata duodecim numero, singula ponde. librarum XVI.

Candelarum ex eadem materia concinnatarum XL. ponde.

Pastilli pugillaris è nucleis pineis, et sacchato compositi quantum duodecim arculis comprehendi potuit.

Pastilli istiusmodi è pistacijs sacchato conditis in arculas duodecim coniecti.

Pistaciorum sacchato colliquato incrustatorum arculæ sex.

Pistacia item sacchari moschati leui tectorio inducto lorienta in sex arculis conclusa.

Cinnamomi plurium è sacchato tunicarum superinductione ad longitudinem, & crassitudinem ferè digitalem redacti arculæ sex.

Cinnamomi minutissimè concisi, sacchareaque applicatione circumtecti arculæ XII.

Coriandra pluribus sacchareis tuniculis alijs super alias inductis crassius contecta, & in grandiores globulos exaggerata, ex eis sex arculæ refertæ erant.

Sacchari purissimi massæ XII. ad metæ seu coni speciem coagmentatæ.

Liborum ex amomo, & alijs aromatibus ritu Neapolitano fictorum taleolæ quinquaginta numero, uulgò Mostazzonos appellant.

Aliorum liborum eiusdem propè conditure moscho addito, arculæ sex, uulgus Moscardinos uocat.

Flos succi è malis cotoneis sacchari liquore elixatis, ac depsitis expressi, in duodecim arculas infusus, & per congelationem

lationem conceptus.

Cydonitis alterius generis sacchari liquore conditę arculę XII.

Condimenta quędam e saccharo, & nucleis pineis uarias diuersorum pomorum, ac nucum facies mentientia, et tam propè ad ueros arborum fructus accedentia; ut nemini planè sit sensus oculorum, aut manuum tam lynceus, ut sagax, qui ex illorum inspectione, atque attrectatione possit fucum deprehendere, et non protinus se decipi, ac falli patiatur. His refertę erant arculę quatuor et uiginti numero.

Alia adhuc condimenta ex eadem materia composita, sed fructus arborum tumidiores, atque ampliores referentia. Eorum tanta copia fuit, quanta capi potuit argentea pelui grandiore.

Hęc sunt, quę Venetijs aduecta fuerunt. In quibus illud et admirabile, atque spectatu iucundissimum fuit, in tam magno numero arcularum, quibus omnia bellaria, quę supra memorauimus, inclusa continebantur, parmulam planam (hac autem uoce nunc chartaceum operimentum intelligo, quod ligneo arculę operculo suppositum res iniectas obtegere consueuit, nostri rosetum uocant) parmulam, inquam, nullam inuentam fuisse, quę eodem intersectionis artificio aliam quampiam referret, distinctas omnes, et operis diuersitate, foliationisque interpunctione prorsus inuicem differentes, et uarias; quum tamen nouis & artificiosis cęlaturis, ac figurationibus singulę refectę, ac conformatę fuissent. Iam uero sequuntur, quęcunque hic comparata fuere. nimirum.

Pernę

Pernę suillę anniculę uiginti numero.

Linguę bubulę salitę numero quadraginta.

Vituli obesi quatuor.

Capreoli duo.

Phasides aues duę uiuę.

Gallinae Numidicae, Grecis Meleagrides dictę, uulgo gallos Indicos appellant, uiginti.

Capi quadraginta numero.

Perdices quindecim.

Porphyriones quinque.

Vini horni collium Butrianorum urnę XVI.

Vini horni e collibus Rosacianis urnę XII.

Vini anniculi collium Rosacianorum urnę XVII.

Auenę modij CLXXX.

Hisce rebus sic ordinatis, atque dispositis, cum iam dies in horam fere tertiam et uigesimam inclinasset, placuit Septemuiris, mihi et Salomonio collegę meo prouinciam tradere huius muneris perferendi, illud quę apud Antistitem, quoad fieri possit, ornandi uerbis. Precessimus igitur, ex interuallo iis, qui gestabant, longa serie subsequentibus; cumque in eius conspectum peruenissemus, paucis uerbis ita ego illum comiter audientem allocutus sum.

POSTEA quam uoti illius preclarissimi, quod olim urbs nostra concepit, cum toto animo in rem communem incumbens, dari sibi suum Pastorem, de coelo suppliciter expetebat, concessu Dei iam tandem compos facta est: tuque Antistes

Illustriss.

Illustrissime, te nobis modo presentem exhibendo, una te-
cum et pacem, et tranquillitatem, et ocium, & quicquid
boni, atque iucundi de gratiosissimo Pastore expectari
par est, ad nos attulisti; quanta nos omnes ob id letitia
perfruamur, quanta in uoluptate bacchemur, opinor
te cum ex oculis, quibus animorum motus potissimum
significantur, tum ex frontibus singulorum, que animi
ianue esse dicuntur, atque ex publicis, & priuatis acti-
onibus hactenus abunde satis perspicere potuisse. Quid
autem est, quamobrem hoc in casu non debeat nostra
ciuitas ex animo, et solide gaudere, que in presentia
tua, & tui similium ante hac semper maximam felici-
tatis, & amplitudinis sue partem sitam esse duxit? Vt
illud omittam, quod aduentus hic tuus optatissimus no-
bis memoriam regessit duorum sancte Ecclesie Procerum
Dominici, & Marini patrui, & fratris tui, Cardinali-
um, & Patriarcharum Aquileiensium, post tot annos
gestarum rerum gloria adhuc florentium; ex quorum
presentia alias urbi nostre tantum ornamenti, atque splen-
doris accessit, quantum ex publicorum annalium lecti-
one cuiuis facile constare potest. Extant igitur Anti-
stes religiosissime, firme nobis, et ualentes cause, cur
Grimanos Heroas, eque ac Diuos nostros tutelares sedu-
lo uenerari, & acceptorum beneficiorum memoriam sem-
piterna beneuolentia colere debeamus: nobis que toto
animo

animo gaudere, qui nos omnes ab eis in filiorum loco semper fuisse dilectos intelligamus. Quo factum est, ut ciuitatis moderatores, qui ab omni parte quęrendam sibi, atque inuestigandam esse rationem duxerunt; unde et gaudij, ac iucunditatis, qua penitus urbs perfusa est, extrinsecus edere indicium euidenter possint: et suum in te studium, atque obseruantiam commonstrare, ex Senatus auctoritate censuerint, donariorum, & largitionis usum, preter ea, quę facta sunt, multum ad id, quod cupiunt, proficere, atque conferre. Neque illi quidem, ut mea fert opinio, quidquam aberrant a uero; nam si nefas erat cuiquam Parthorum Regem sine munere salutare; quanto minus debet urbs nostra hac in parte deesse officio suo; cum quicquid optimo suo Pastori, & patri largiatur, illud ipsimet rerum omnium auctori Deo, cui istiusmodi honoris, atque obsequij tributum proprie deberi dicitur, largitum fuisse putandum sit? Quare nobis scribis suis hoc negotium Septemuiri imposuerunt, ut id, quod uehementer desiderant, primo quoque tempore efficiamus, & illorum mandata diligenter exhauriamus. Itaque nostrę iam partes sunt, te, Antistes gratiosissime, id quod facimus, etiam atque etiam orandi, atque obtestandi, ut Reipub. nostrę hac in re gratificatus, hoc illius munusculum lętissimo animo accipias. Quod si forte dignitati, atque excellentię personę tuę minus id respondere uideatur, huic adijce, si libet, accrementi, et corollarij

uice

uice, eam, qua te obseruamus, & colimus, reuerentiam; ueritus sum, non modò id equilibre emersurum esse, sed etiam degrauata lance, depensurum, ac pessum omnino abiturum. Cape igitur amplissime Princeps, quicquid huc attulimus, benigno uultu: & tibi persuadeas uelim; te non hec fragilia, et caduca, que ante oculos sunt, sed corda uniuersa totius ciuitatis accipere; cuius quanta est fides, ac pietas in Deum, tanta in te est, qui ad eum proxime accedis, obseruantia, & amor; in quorum fide se se recipi, & perpetuo patrocinio foueri, modis omnibus deposcit, atque expetit. Hic Antistes, sibi ante hac satis exploratum esse dixit in se studium, ac beneuolentiam patrum, ac populi Utinensis; itaut ad eam significationem siquis adijcere quidquam uelit, superuacaneum omnino id factum uideri possit; se tamen, qui occasionem amat, omni illis honeste gratificandi, non aspernari illorum liberalitatem: operam que suam publice utilitati, ac saluti presto semper futuram, benigne professus est.

Ad XV. Calendas summo mane Septemuiri in forum nouum spectatum accedunt, siquid deesset ad opus theatri perficiendum; feruere opus inueniunt: omnes operas uident multo labore strenue exerceri. Hi tignis tapetia circumducunt: illi suis locis insignia disponunt: alij sellam obtegunt umbella: alij adornant aram: sunt qui rosas, laquearib. suffigant: qui tollant tigna superuacanea: qui pauimentum scopis euerrant: qui reiectamenta, & quisquilias auferant, ur-

gentibus

gentibus ab omni parte eurratoribus; cui cum aliquantulum spatij adhuc sibi dari petijsset, Septemuiri inde digressi se se in Curiam recipiunt; ut ciues operiantur, qui secum in Pretorium conscendant, et suo tempore Pretorem ad Antistitem deducant, ac comitentur. Interim ego experiar, atque tentabo; numquid sumptuosissimum, et insolens, atque ad ostentationem quasi nobis magnificentie opus e tignis, et asseribus excitatum, scriptione reddi, atque exprimi, et effingi ita uerbis possit, ut animos, et aures legentium, atque audientium pascat, sicut oculos intuentium sua amplitudine, atque concinnitate uehementer expleuit. Quod quidem opus a Francisco Floriano Utinensi pictore atque architetto excellentissimo, ut prediximus, excogitatum, urbs mea non tam necessitate compulsa facere instituit (ita sane initio creditum est) quod, cum ea habeat in medio sui forum augustissimum, et amplissimum, par illud ad omnem multitudinem excipiendam fore existimabant; postea tamen, re confecta, cum tanta uis hominum in area cogi uisa est, quantam uix expendere quisquam animo potuisset; quinque et amplius istiusmodi fora ad eam multitudinem capiendam minime sufficere potuisse iudicatum fuit) quam animi magnitudine, et cupiditate laudis incensa, sponte sumptus ample, et magnifice faciendi occasionem, operumque splendorem prosequuta est. FRONS theatri, fori aree obuersa, in me-

dium

diam usque uiam procurrebat; postica pars ędi cvme Ia-
cobo sacrę cohęrebat; quod inter latera loci spatium pro-
tendebatur (hanc ego latitudinem uoco) passuum XVII.
semis numerum implebat. A fronte ad posticum parie-
tem (hanc longitudinem appello) spatium interfuit pas-
suum VIII. plus minus. Ita enim distributa fuit edi-
ficij latitudo; uti longitudo esset latitudinis ferè dimidię
partis: ipsumque totum theatrum duplo ferè latius esset,
quam erat longitudo, scalis exceptis, quę in fronte collo-
catę erant latitudine interius passuum trium: pedes que
quinque passuum latitudine minùs diducti, cum basi
usque in ipsam aream porrigebant. Ipsa theatri facies
Octastylos fuit, constans uidelicet columnis octo, quę
à tabulati pauimento in passus tres semis exsurgentes
septem arcus efficiebant, tres nimirum ampliores, &
editiores ceteris, quippe quorum intercolumnia spatio
passuum trium patebant, sublimitas autem usque ad
coronam Zophorò subiectam, in quinque passus erigeba-
tur; binis arcubus minoribus singulos utrinque comple-
ctentibus, sesqui passus latitudine, altitudine uerò pas-
suum quattuor. Ponte gradibus distributo, & columel-
lis utrinque communito ad pauimentum contabulatum
ascendebatur; quod surgebat à solo altitudine passuum
duòrum, à pauimento ad cymatium Zophori spatium
fuit passuum sex; ita ut uniuersa theatri altitudo esset
ferè

fere passuum octo semis, exclusis acroterijs. Interius bini ordines actonûm columnarum primis in fronte positis quasi ex altera parte respondentium constituti fuerant. In postica uero parte rursus aliç octo sitç erant; adeo ut hoc ędificium uniuersum columnis XXXII. constaret. In laterum uersuris ab utraque parte tres arcus instar reliquorum, de quibus iam dictum est, inęquali amplitudine emergebant, ex quadruplici columnarum serie, sicut supra exposui, disposita prouenientes, ita ut intermedius amplior et procerior duobus humilioribus, atque angustioribus exciperetur. Supra fornices arcuum maiorum, ab uno ad alterum theatri angulum, quanta erat totius frontis latitudo, Zophorus diuitibus aulçis formatus (nostri frisium appellitant) passus altitudine extendebatur, cui pro cymatio, & pro corona inseruiebant tigna per transuersum affixa, totaque frondibus, ac ramusculis laureis, atque hederaceis cum baccis, & corymbis circumuestita. Zophoro, qua quidem parte arcubus maioribus innitebatur, insidebant tympana triangularia e trabeculis hederacea itidem materia coopertis formata. Qua uero parte arcubus minoribus impositus erat, e tabularum assulis in metç speciem cuspidatim surrectis, & eodem modo conuestitis in tres passus in altum euectç pyramides consurgebant. Suberant duabus, quç intermediç fuerunt, ueterum Imperatorum Romanorum imagines in chartis coerulcis

ruleis monochromato plane opere, nisi cerussa locis suis aliquid luminis, et claritudinis adderetur, serti depicte, ac polite, hederaceis que sertis circumplexe; nam reliquis duabus ad angulos positis, dextro quidem cornu ingens leonis caput coloribus formatum suppositum uisebatur. infra quod huiusmodi fuit adiecta inscriptio

GRIMANORVM PONTIFICVM
VIGILANTIAE CVSTODIAEQVE.

Sinistro uero speciosa morus iam suppullulans, atque frondescens suberrime coloribus uiridis adumbrata cernebatur; que in fascia stipiti adnexa uerba hec inscripta continebat.

ΤΟ ΠΑΡΟΝ ΕΥ ΠΟΙΕΙ

Ad radices autem hoc elogium subscriptum erat.

GRIMANORVM PONTIFICVM
PRVDENTIAE SACRVM.
VII VIRI VTINENSES
D.D.

Alie sub tympanis imagines apparuerunt, et quidem sub medi[illegible] hoc epigramma legebatur:

VII. VIRI VRBIS VTINEN. ARAM
VOTIVAM CVM APPARATV PRQ.
ADVENTV
IO. GRIMANI ANTISTITIS AQVILEIEN.
SANCTISSIMI.
DEO OPT. MAX. ET DEIPERAE VIRG. EX VRBIS DECRETO F. FF. IIDEMQ. PROB.

Sub altero ab dextera erat imago Famę alis expansis, quę ori admotam buccinam fortius inflare uidebatur. Sub tertio ab sinistra imago Veneti Leonis suffixa erat. In summo quoque uertice arcuum minorum sub Zophoro, ornatus gratia, speciosis circulis inclusę uidebantur aliquot imagines Imperatorum, atque Imperatricum Rom. ea picturę genere, quo alię, de quibus ante dictum est, luculenter expressę, quę aspectum pulcherrimum, & gratiosissimum reddebant. Alia quoque similis effigies eodem modo affabré circumsepta sub fornice maioris arcus mediani impendebat. Cui á dextera parte respondebat insigne Grimanę domus in concauo fornicis arcus maioris dextrorsum positi apte collocatum, & serto é sabinę ramulis concinné elaborato coronatum; huic á dextris, & á sinistris appensa erant sub fornicibus arcuum minorum dua insignia itidem sabinę ramusculis artificiosé complicatis redimita, illud Barbarę gentis, hoc uero Byzantię familię. A sinistra parte arcus maioris mediani, sub testudine quidem arcus maioris sinistrorsum positi locatum fuit insigne Ciconię gentis, é qua nuper omni genere laudis florentissimus Paschalis ad supremum Principatus Veneti fastigium euectus, hoc Imperium serenissimum felicissimé, ac sanctissimé moderatur, ac regit. Sub aliis autem fornicibus duorum arcuum minorum duo insignia spectabantur, illinc Capelię familię, hinc Vtinensis Reipub. omnia é sabinę surculis rite compositis sertis circumuestita. Spatia sub Zophori coronice é testudi-

ê testudinatis arcuum fornicibus enascentia telis cannabinis ad marmorum imitationem coloribus tinctis obstipata erant. Columnarum stipites, sicut etiam theatri trabes omnes transuersariæ, singuli tapetibus obducti, contectique fuerunt. fornices uirentia lauri, hederæque folia aptè colligata, atque intertexta connestiebant. Theatrum supra pauimentum siue contignationem quaquauersus apertum erat, præterquã à parte posteriori; quam textilia stragula magnificis operibus picta totum claudebant; & præter intercolumnia minorum arcuum, quę columnellis à pauimento pedum in altitudinem duorum semis cum coronice obserata, atque occlusa fuerunt. Apertiones omnes à solo ad contignationem undequaque uestes eximiæ belluatæ, & multa arte picturatæ obstruebant, & exornabant. Erecta fronte, ac postico ea ratione, qua dictum est: lateribusque in altum eductis ab utraque parte theatrum illuminantibus, totum opus contegi oportebat; ut finem suum ædificium consequeretur: neque, ingruente forsan tempestate, supposita uestis corrumperetur. Itaque uela cannabina, & lintea plura collecta sunt; quibus inter se consutis, & ualidè contentis tectum operi induxerunt, et uniuersum locum aptè simul, atque decorè contexerunt. Ara deinde solennis obiectu capiti scalarum, in media ferè theatri parte constituta est; ad quam tribus gradibus ascendebatur, patens, & capax, ac pretiosis ornamentis religiosè parata, ornata, exculta. Supra eam

trabes

trabes ita dispositę ~~in transuersum~~ fuerunt, ut formam qua-
dratam efficientes, aram in medium reciperent; his suffi-
xę erant octo rosę pedali fere quantitate singulę è
charta crassiore miro artificio compositę; quę uaria colo-
rum lepore uariegatę, atque distinctę, supra quam dici
possit, spectantium oculos ~~tenebant~~, & delectabant.
E regione arę in sublimi parte postici parietis aulęa af-
fixum erat simulachrum in papyro ouata specie; ubi
coloribus formatum appacebat altare, cum calice, &
sphęrula hostię speciem reprę sentante altari superimpo-
sito. Sub illud autem hoc hemistichium legebatur:

DII NOSTRA INCEPTA SECVNDENT.

Septemuiri cum aliquandiu sese in curia continuissent,
(Nam consulto, & cogitato diem extrahebant, uti spatii
operis foret ad opus absoluendum) foras demum egressi,
& à multis ciuibus excepti, in ędes palatinas Pretorias
ascenderunt. hic etiam aliquantisper commorati, post dein-
de omnes, magna caterua comitante, ad Antistitis ędes
perrexerunt; ubi magnum quoque temporis spatium
transmissum est; dum à theatri Curatoribus nuntius ex-
pectatur, qui referat, instructa ibi iam, & apparata esse
omnia. Interim Iurisconsulti, qui sese utriusque Canoni-
corum, Aquileiensis nimirum, atque Vtinensis Ecclesiaru
collegio supplicantium ritu progressuro, comites prębere
uolebant, se colligere incipiunt, Canonicorum aduentum

operien-

operientes, quibus tandem opportune comparentibus, magnus Iurisperitorum numerus in togis non uulgaribus obuiam procedit, seque illis adiungit. Magnificum sane, ac perhonorificum ualde fuit intueri uno tempore tot, tamque preclaros et genere, & iuris prudentia, & eloquentia uiros in una ciuitate florere, quot ad plures quantiuis pretij urbes cohonestandas sine ulla dubitatione satis, super que esse potuissent. Et nisi res experientia se ipsa commonstrasset, uix quenquam inuenire putem, qui animum induceret hec narranti fidem aliquando habere posse. Antistes interea cum Pretore, Meniscalco, Questore, ac Septemuiris, captato idoneo tempore, descenderunt, seque in uiam dederunt, ut sacri faciendi gratia, ad theatrum accederent. Barbarus enim cum familiaribus, & conuictoribus, optimum factu ratus tempus ante capere, iam se si ad locum destinatum compendiaria uia receperat, Antistes autem cum reliquo comitatu uia longiore, per regionem foeni, et Riualtinam, perque forum olitorum in aream fori noui sub arcum, qui ibi extructus erat, deductus, per mediam aream, inter frequentissimam hominum celebritatem, que iam totam occupauerat, ad theatrum peruenit, Pregredientibus collegijs, quorum superius mentio facta est, tuniculas linteas sacerdotum more superinductis, quorum singulos bini fere Iurisconsulti medios intterceperant: et cum his una in theatri tabulatum

tum conscenderunt; quo post illos Antistes etiam ipse cum Magistratibus, & alijs compluribus ascendit: ibique conspicua sella, quę ad arę dexteram fuerat collocata, sub umbella receptus est. Dum uero is Pontificijs ornamentis instruitur, sacerdotes simplici quidem, iucundo tamen cantu preces horarias complexi sunt; quibus absolutis Antistes candido amictu limbis aureis fimbriato, et in usum hunc unum è texti genere argento clauati diebus superioribus comparato indutus, infulaque concolore caput tectus ad aram accessit: et rem diuinam facere exorsus est. Adstiterunt illi Paulus Tiepolus sacri Collegij Aquileiensis Decanus, qui eo die munere, quod Gręci διακονικόν, id est, ministratorium uocant, functus est. & Ioannes Carleuarius eiusdem Collegij Canonicus et I.C. qui se pro Subdiacono gessit. Adstabant pręterea, & subseruiebant etiam aliquot alij illius Collegij Canonici palliati, nempe Franciscus Susanus, penes quem cerimoniarum pontificalium cura fuit. Annibal Canussius, et Iacobus Franciscius, imponendę, atque adimendę infulę assignati, et Hieronymus Furmentinus lituum tenens. Inter sacri cerimonias Antistes quater manus abluit, Philippo Arcano, & Iacobo Valuasonio, ciuib. nostris, pollubrum, & manalem uasa solido argento conflata alternatim pręebentibus; aquamque infundentibus Ludouico uero Codroipio, & Philippo Manino, nostris item ciuib. mantile (Gręci χειρόμακτρον uocant) porrigentibus. Ad consecrationem ubi peruentum est, tubicines ex męniano ędium

Pretori-

Pretoriarum inflatis buccinis, & magistri tormentarij canis explosis signum ediderunt; atque è uestigio ex oppositis domorum tectis ignis ui demissa per funiculum fuit imago columbe, que in nido ante theatri frontem suspenso se occulere uisa est. Sacris demum peractis, Antistes facie ab altari in populum conuersa, cum signo crucis omnibus bene precari coepisset, intestino gaudio permotus ex tante multitudinis, que presens aderat ueneràbunda, spectatione lacrymas tenere non potuit, & in media precatione quam tenerrime lacrymatus est. Cui ab altari discedenti obuiam Septemuiri facti sunt, ut illi, more à maioribus tradito, rite, & sanctissime peractas cerimonias gratularentur. Is tamen respondit, se in primis & sibi gaudere, & illis ex animo gratulari, quod arctissimo spiritualis cognationis uinculo se cum illis hac ratione deuinctum, atque in perpetuum constrictum esse cognosceret. Caeterum uerò eo die in area multitudinem satis mirari nemo potuit; cum preter mulieres, que circumpositas edes ab imo tabulato ad summum tectum compleuerant, atque ita compleuerant, ut nulla prorsus extaret fenestra, que decem, et quindecim, atque etiam pluribus mulieribus, in medium usque pauimentum alijs super alias è cathedris, sedilibus, & scamnis intuentibus prospectum non preberet; que que tabulatis, aliquot in locis, & usque in summis edium tectis è materia compositis insidebant, iudicatum sit, eum numerum, qui ex area spectauit, fuisse hominum planè XX millium. Memini ego

me

mo de viris non infimę notę audiuisse, qui dicerent, se eo die in media multitudine deprehensos obrutum, & oppressum iri sine dubio putauisse. Priusquam ę theatro discederetur, Antistes ę scripto pronuntiari curauit poenę sceleribus patratis debitę relaxationem in hanc sententiam:

Illustrissimus, & reuerendissimus D. D. Ioannes Grimanus, diuina miseratione Patriarcha Aquileiensis ex indulto á D. N. Sixto V. Pontifice Maximo accepto, plenariam indulgentiam in forma sanctę Ecclesię consueta, his omnibus, qui hodie sanctiss. huic sacrificio interfuerunt, condonat, & elargitur. Ad Deum pro felici sanctę Ecclesię, atque eius beatitudinis statu, proque Ser.^mo Imperio Veneto, atque ipso illustrissimo Patriarcha largas preces effundite.

Tunc demum, cum deposuisset Antistes insignia Pontificalia, descendentibus omnibus, qua uia illuc deductus fuerat, eadem domum reductus est. Ad XIIII. Calen. Pretorem, Minischalcum, Questorem, Septemuiros, Propretorem, atque oratores Antistes conuiuio publico excepit. in quo epulo inter tot proceres accumbendi, Presulis benignitate, mihi quoque et collegę meo locus fuit. insigni quidem illud apparatu, minime tamen inuidiose exhibitum est. Modos fecerunt Ioannes Franciscus Falcidius sacerdos, et Buccij pater, filius, ac nepos corneis, atque ductilibus tubis. Post epulas accessere

Victorius

Victorius Raimundus sacerdos musicorum ecclesiasticorum Venetiarum magister, & Hesiodus Sporenus magister bonarum artium, & humaniorum studiorum professor; atque ille quidem cum nonnullis musicis, quos illuc secum adduxerat, modulum quendam musicum, quem in eius commendationem composuerat, modulate cum his cecinisset, illo eundem donavit. Sporenus autem duas Silvas Heroicorum carminum numeris in Grimanae familiae laudem apte concinneque elaboratas eidem impertitus est; quarum altera Iosephus pater alias Marinum Grimanum, altera vero Hesiodus filius modo Ioannem Grimanum Patriarcham nostrum religiosissimum ex professo laudarunt. Utrumque cum musici, tum poetae munera Antistes comiter accepit, & actis utrique gratijs, cum occasio tulerit, etiam se relaturum esse aliquando recepit.

Τῷ θεῷ δόξα